AUTHOR:

KUMMELL, KARL

TITLE:

DE PRAEPOSITIONE

PLACE:

BONNAE

DATE:

1875

Master Negative #

92-80598-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88T43
EZ2

Kümmell, Karl, 1849-
De praepositione ἐπί cvm casibvs conivnctae vsv Thvcydideo... Bonnae, formis P. Neusser, 1875.
49 p. 22 cm.
Vol. of pamphlets.
Thesis, Leipzig, 1875.

~~88T43~~ ~~Another copy~~.
~~EZ2~~ Vol. of pamphlets.

54839

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10/11/93 INITIALS my
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

C

DE

AEPOSITIONIS *ΕΠΙ* CVM CASIBVS CONIVNCTAE VSV THVCYDIDEO.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLVS KUEMMELL
KLEINSCHMALKALDENSIS.

BONNAE,
FORMIS P. NEUSSER.
1875.

Quamquam permulti viri docti Arnold, Poppo, Goeller, Krueger, Classen, alii, ex quibus quod nonnullos inspicere mihi non licuit doleo, Thucydidi explicando et interpretando operam navaverunt et adnotationibus suis de Thucydide bene meriti sunt, quicunque tamen in hoc scriptore obscuro et intellectu difficillimo est versatus viderit quasdam res paene neglectas vel sparsim, si occasio tulerit, esse tractatas; quo fit, ut de usu et vi particularum, quas diu, quum minoris momenti esse viderentur, interpretes minus diligenter intuebantur, in editionibus scriptorum pauca adnotata inveniamus. De praepositionum autem usu Thucydideo praeter sparsas adnotationes interpretum recentiore aetate singula disputaverunt viri docti [1]; sed pleraeque praepositiones qua vi a Thucydide sint usurpatae, adhuc explanandae restant. Quare mihi in animo est hac dissertatione de praepositionis ἐπί cum casibus conjunctae usu Thucydideo commemoratu digna fusius pertractare, praesertim quum iam inter omnes constet in tractando auctore eas ipsas particulas esse inspiciendas quam acerrime, ut scriptorem intellegamus. Ἐπί autem elegi, quod ut haec praepositio per omnia memoriae tradita monumenta Graecae linguae innumerabiliter vario modo adhibita exstat, ita ea Thucydides amplius quam quinquies decies millies

---

1) J. Golisch de praepositionum usu Thucydideo. Schweidnitz. P. I. De ἐς praep. 1859. P. II. De ἐν praep. 1861. P. III. De ἀπό praep. 1865. — Korioth de ἀπό praepositionis usu Thucydideo Roessel 1862.

diversa ratione utitur, neque ullam aliam praepositionem saepius in eius libris legimus nisi πρός.

Priusquam vero rem ipsam aggrediar, licet ordinem proponere, quem in tractanda materia tenebo. Atque primum pauca praemittam, ut demonstrem, quae sit propria ac principalis significatio nostrae praepositionis, tum quam diligentissime in Thucydidis usum varium inquiram, qui sit particulae cum casibus coniunctae.

Varie autem quum sint divisa capita in paragraphos, sequor Boehmii editionem alteram Lipsiae huius saeculi anno LXII editam, quae Popponi accuratissime respondet, et lectiones eius in universum teneo.

§. 1. De propria significatione.

Kuehnerus [1]) de primaria significatione sic docet: „Ἐπί hat die Grundbedeutung auf (Gegensatz von ὑπό, unter). Sowol ἐπί als ὑπέρ bezeichnen die Oberfläche, mit dem Unterschiede jedoch, dass jenes eine wirkliche Berührung der Oberfläche, dieses nur ein Schweben über derselben oder eine leise Berührung derselben ausdrückt.“ Atque Kuehneri explicationi assentior ἐπί praepositione locum vel rem indicari, in cuius superficie homo vel res versatur vel movetur, eamque opponi particulis ὑπό et ὑπέρ, quod ex Thucydidis exemplo allato facile videbimus: 4, 4, 2, quo loco de Pyli munitione agitur: τὸν πηλόν, εἴπου δέοι χρῆσθαι, ἀγγείων ἀπορίᾳ ἐπὶ τοῦ νώτου ἔφερον ἐγκεκυφότες τε, ὡς μάλιστα μέλλοι ἐπιμένειν καὶ τὼ χεῖρε ἐς τοὐπίσω ξυμπλέκοντες, ὅπως μὴ ἀποπίπτοι. Athenienses Demosthene duce quum in Peloponnesum expeditionem maritimam facerent, ad id tetenderant, ut Lacedaemoniis crebris invasionibus et Messenios Helotasque ad seditionem compellentes quantum fieri posset nocerent, neque vero Athenis proficiscentes futurum esse cogitaverant, ut locum quendam diutius occuparent vel

1) R. Kuehner, Ausf. Gramm. der Griech. Sprache. § 438. p. 429.

conferamus. Cubus autem terminatur areis iisque area summa, area infima, quattuor lateribus. Quaecunque vero per has areas intraverunt locumque habent intra eas, in cubo ipso esse dicuntur (ἐν); deinde quaecunque extra has areas locum habent, aut supra cubum aut infra eum aut iuxta eum esse dicuntur (ὑπέρ, ὑπό, πρός). Sed quaecunque neque intra areas neque extra areas locum habent, sed in ipsis areis, ea ἐπί particula dicuntur.“ Mea ex sententia Schaarschmidtius idem explicat, quod Kuehnerus. Nam certe Kuehnerus voce „Oberfläche“ non summam tantum aream intellegit, sed omnem alicuius rei aream, id est: superficiem, sive summa, sive infima, sive in lateribus alicuius rei posita est. Sane proprie voce „Oberfläche“ summam aream dicimus; quum vero utamur voce „Oberfläche“, non semper cogitamus de ipsa summa area, sed de omnibus areis, quibus res terminatur. Atque hoc sensu mea ex sententia accipit Kuehnerus nostro loco vocem „Oberfläche“, nec video, cur Schaarschmidtius dixerit ex Kuehneri sententia summam tantum aream significari, et puto ex verbis quidem Kuehneri nulla re nos cogi concludere, eum de summa tantum area cogitare. Si forte ei ut Schaarschmidtio cubi figura ante oculos esset versata, clara voce, si omnino necesse habuisset, se non summam tantum aream, sed potius totam superficiem cubi intellegere addidisset. Si Schaarschmidtius, ut totam rem clarius illustraret, non ad cubi formam, sed ad sphaeram refugisset, certe in eum errorem non esset inductus. Sane optime tota res ἐπί praepositionis cum cubo conferri potest, quamquam ego sphaeram potius affero. Constat enim una eademque superficie determinari sphaeram, neque discerni posse aream summam, infima, latera. Quaecunque hac superficie sive summa area totius sphaerae includuntur, sunt sub hac superficie ipsa in sphaera et ἐν τῇ σφαίρᾳ dicuntur; quaecunque vero extra sphaeram in aura pendent vel supra vel infra

etiam munirent. Itaque ubi Demosthenes audax consilium cepit Pyli occupandae, non habuerunt secum, quae necessaria sunt ad locum muniendum, nec vasa neque instrumenta, quo coacti sunt, ut lapides non caesos componerent et capite ad terram inclinato ita, ut dorsum in coelum spectaret, in ipso dorso mortarium portarent. Mortarium igitur in superficie positum erat et manus in dorso nexas habebant, ne quid dilaberetur. Ὑπὸ τοῦ νώτου vel ὑπὲρ τοῦ νώτου nullo modo dici poterat in hoc loco, nam ὑπὸ τοῦ νώτου intellegendum esset mortarium portatum esse sub dorso, in ipso corpore; sin ὑπὲρ τοῦ νώτου scripsisset Thucydides, mortarium super dorsum in aura pependisset. Neque cogitari potest in lateribus mortarium esse portatum; si in lateribus fuisset, inclinato corpore homines non erat necesse accedere. — Aliud exemplum cum dativo coniunctae legimus 4, 67, 3 ἀκάτιον ἀμφηρικὸν ὡς λῃσταὶ εἰώθεσαν ἐπὶ ἁμάξῃ διὰ τῆς τάφρου κατακομίζειν ἐπὶ τὴν θάλασσαν καὶ ἐκπλεῖν. Ἐπὶ ἁμάξῃ nullo alio modo est interpretandum quam in plaustro, linter in plaustro fuit, neque sub eo, neque super id in aura pendens cogitari potest; ἐπὶ τὴν θάλασσαν autem valet proprie in superficiem maris, sed ad mare accipiendum est, ut infra videbimus.

Ἐπί praepositio igitur primarium locum obtinet in omnis alicuius rei superficie et nostro auf est vertendum.

Quod Schaarschmidtius [1]) de hac re disputat, non satis intellego, quum dicat: „Neque vero in eo Kuehnero assentior, quod summam tantum aream ἐπί praepositione exprimi putat, cum pari modo omnis alicuius rei area hac particula significetur. Quod ut clarius illustremus, refugiamus ad artem geometricam et totam eam rem, quacum ἐπί praepositio coniungitur, cum cubo

1) U. Schaarschmidt, de ἐπί praepositionis apud Pausaniam Periegetam vi et usu. Lipsiae 1873. p. 5.

vel iuxta eam sunt, vel ὑπέρ vel ὑπό vel παρά vel πρός pro re dicuntur. Utamur globo, quod dicere liceat, etiamsi Graeci veteres aliam terrae formam agnoverunt. Quascunque res in globo descriptas, id est in eius superficie sive accuratius in singulis eius punctis videmus, eae indicandae nobis sunt ἐπί praepositione. Unumquodque igitur punctum superficiei, cui ex Graeca lingua assumptum nomen „Peripherie" indidimus, sedes ἐπί particulae est. Exempli gratia in medium licet mihi proferre ὑπὸ γῆς, ὑπὲρ γῆς, περὶ γῆς, ἐπὶ γῆς. Ὑπὸ γῆς dici potest homo, qui sub terra aliquid fodit in metallis, speluncis, sepulcris; avis, quae per auram alis se levat, ὑπὲρ γῆς volat; aura, quae circa terram est effusa, περὶ γῆς cogitanda est; quaecunque vero ipsa in terrae superficie sunt vel moventur, nec sub terra iacent, nec supra eam volitant, neque circa eam sunt effusa, ea ἐπὶ γῆς dicuntur.

Quum autem Graeci ἐπί praepositione utantur, si dicunt aliquid esse in aliquo puncto superficiei alicuius rei, neque id observent, utrum sit res in summa area an in lateribus eius rei, nos accuratius rem inspicimus, in cuius superficie quid videmus, quamobrem ἐπί particulam duabus vernaculis praepositionibus „auf" et „an" vertimus. Si enim quid in summa area alterius rei videmus, „auf" praepositione uti solemus, at voce „an" vertimus ἐπί Graecorum, si in alterius rei lateribus quid dicere volumus.

Tenendum nobis est ἐπί primarium esse usurpatum de loco et paulatim ad temporalem et metaphoricum usum transiisse, sed haec transgressio iam antiquissimis temporibus est facta, quod ex Homero cognoscimus.

Quod attinet ad etymologiam, Graecorum praepositiones ἐπί et ἀπό cognatae eadem ex radice verbi sunt ortae [1]). Illas particulas probabile est casus fuisse, ex

1) G. Curtius, Grundzüge der Griechischen Etymologie. Leip-

quibus ἐπί Locativi forma perspicienda est. Atque in aliis linguis Graecae cognatis voces invenimus, quae ex eadem radice atque ἐπί intellegendae sint et significatione prorsus respondeant. Si ex Latina lingua particulam cognatam proferre volumus, „ob“ nobis esse afferendum videtur; id vocabulum diversis temporibus habuit diversas significationes et discernere possumus ob locale et ob causale, huc localis tantummodo praepositio ob spectat cum casibus coniunctum et ob cum verbis compositum. Ob enim cum casu nominis coniunctum grammatici docent primario localem habuisse usum simili significatione atque „ad“, et lexica, quae inspexi, duo exempla eiusmodi exhibent: Cic. Tim. 14, 41 ob os suffusus et Plaut. Aulul. 2, 4, 23 follem obstrinxit ob gullam; similis etiam est loquendi formula „ob oculos versari“, quam apud Ciceronem saepius legimus. Verba autem cum illa particula „ob“ composita saepissime inveniuntur: obaeratus, obauratus, obstruere, obtegere, alia. Germanorum voces „auf“ et „ob“, quo utimur in nostris „Obmann, obsiegen“, ex eadem radice nata esse videntur; porro in verbis compositis praefixum „be-“ ut „bestreichen, bemalen“ respondet ἐπί particulae.

His praemissis iam vero perscrutemur, qua vi Thucydides ἐπί praepositione usus sit. Saepissime ἐπί apud nostrum auctorem cum Genetivo vel Dativo vel Accusativo coniunctum invenimus, neque minus cum verbis compositum et omnibus quidem fere significationibus, quas paulatim Graeci ei particulae tribuerunt, immo passim singularis usus Thucydideus est agnoscendus. In omnibus autem locis, quos optimi libri praebent, legimus formas ἐπί, ἐπ', ἐφ'; nusquam 'πί per aphaeresim, nusquam ἔπι retracto accentu in penultimam, quamquam substantivis, quae ex eo, ut ita dicam, pendent, non

---

zig 1869. Nr. 330 p. 247 et Nr. 335 p. 249. — R. Kuehner, Ausf. Gramm. § 438 p. 429.

semper antecedit, sed inter substantivum et adiectivum ei appositum est interpositum, neque in ullo loco pro ἐπεῖναι verbi formis exstat. De ἐπί, si compluria nomina ab eo pendent, iterato aut non repetito agit L. Herbst[1]). Etiamsi Thucydides saepe hiatum fugit, multa tamen exempla hiatus leguntur[2]) et post nostrum ipsum ἐπί admirabilia, praesertim quum sequens vocabulum incipit ab J. vocali, ut 8, 28, 2 ἐπὶ Ἴασον 8, 39, 1 ἐπὶ Ἰωνίας. Adverbialiter sine casu scriptum frustra quaerimus, cum adiectivi neutrius casu coniunctum saepius pro adverbio adhibetur. Ut apud alios scriptores, ita apud Thucydidem localem significationem plurimis locis transgressa particula usurpatur de tempore et metaphorice. Itaque omnibus in coniunctionibus cum casibus triplex est constituendus usus: localis, temporalis, metaphoricus.

Transeamus igitur ad singulos casus et teneamus eum ordinem, ut primum cum Genetivo coniunctum pertractemus, tum qui sit usus particulae cum Dativo coniunctae, tertium qua vi ea sit cum Accusativo copulata.

A. De Genetivo.

§. 2. De locali usu.

Non totus solum usus ἐπί praepositionis varius est, sed etiam de loco usurpata significationes habet varias, vertere enim possumus nostris „auf, an, bei, nach, gegen“. Distinguenda autem nobis sunt duo genera, indicat vero locum,

1. ubi quid versetur vel movetur,
2. quo quid se moveat vel spectet.

1. Atque primum locus exprimitur, in quo res est. Legimus autem cum ἐπί coniuncta et vera loca et res,

---

1) Philologus 24. p. 678 sqq.
2) cf. Popponem p. I. vol. I. p. 215 sqq.

quibuscum localem notionem copulatam videmus; homines non dicuntur, corporis pars uno solo loco commemoratur 4, 4, 2 *ἐπὶ τοῦ νώτου*, de qua iam supra p. 3 disputavimus. Postquam omnes locos *ἐπί* ad hunc usum spectantes accuratius inspexi, non in omnibus cognovi de ipsa summa area, sed etiam de lateribus superficiei cogitandum esse, ex quo pendet versio nostra:

a. Reddimus praepositionem nostra „auf“, ubi *ἐπι* videmus pendentem ab aliquo verbo, quod significet situm vel collocatum esse, considere in aliquo loco, navi vehi, ut 1, 13, 5 *ἐπὶ τοῦ ἰσθμοῦ ἐμπόριον εἶχον*, id emporium in isthmo situm erat ad oram. 5, 7, 4 *καθίσας ἐπὶ λόφου καρτεροῦ τὸν στρατόν*. — *Ἐπὶ τοῦ λόφου* porro legimus 3, 105, 1. 4, 42, 2; 128, 2; 129, 3; 131, 1. 5, 7, 4, pendens ab *ἐξεστρατοπεδευμένοι* 4, 129, 3; *ἱδρύθησαν* 131, 1; *καθίσας* 5, 7, 4; ceteris locis 3, 105, 1. 4, 42, 2; 128, 2 castellum, vicus, homines in colle dicuntur haud addito verbo sed ex connexu facile intellegenda *εἶναι* verbi forma. Pluralis autem *ἐπὶ τῶν λόφων ἐκάθηντο* legitur 3, 97, 2. Ibidem paulo infra tale quid *ἦν ἐφ' ὑψηλῶν χωρίων* (sc. *πόλις*) huc spectat. Singularis *χωρίον* usurpatur 4, 102, 2 *τὸ χωρίον τοῦτο ἐφ' οὗ νῦν ἡ πόλις ἐστὶν ἐπείρασε;* duae igitur commemorantur urbes, quae in eodem loco sitae erant, posterior in ruinis prioris, in eius superficie erat condita. Deinde *ἐπὶ τῶν καρτερῶν ἐγκατῳκοδόμηται* 3, 18, 4 intellegenda sunt loca natura munita, in quibus castella exstructa sunt. Tum locus editus significatur neutro adiectivi *μετέωρος* 4, 36, 2 *ἐπὶ τοῦ μετεώρου ἀναφανείς* et 5, 6, 3 *ἔστι τὸ χωρίον ἐπὶ μετεώρου*. Denique est referendus locus 4, 118, 4 *ἐπὶ τῆς αὐτῶν μένειν ἑκατέρους ἔχοντας ἅπερ νῦν ἔχομεν*, in statu igitur quo tum manere; nota ellipsi est vocabulis *ἐπὶ τῆς αὐτῶν* supplendus Genetivus *γῆς*.

Res autem, in quibus homines vel aliae res versari narrantur, in primis naves sunt vel earum partes. Sic *ἐπὶ τῶν νεῶν* vel pronomen *αὐτῶν* pro *νεῶν* voce collo-

catum vel *ἐπὶ τῆς νεώς* legimus copulata cum verbis mittendi: *ἀποστέλλειν* 2, 23, 2, *πέμπειν* 3, 102, 4. 6, 91, 4, *ἀποπέμπειν* 3, 115, 5. 8, 74, 1 (Sing.), *ἐκπέμπειν* 7, 25, 1. 3, 8 (Sing.); porro *ἦγεν ὁπλίτας* 2, 56, 2. *ἔχων τὸν στρατόν* 4, 101, 3. *ἐλθόνιτας* 6, 37, 1. *ἐστράτευον* 2, 57, 1. *ἐπὶ τῆς Λευκαδιάς νεὼς πλέων* 2, 92, 3. Omnibus his allatis locis navis tamquam instrumentum intellegi potest, quo homines alios mittunt vel ipsi vehuntur; aliter res se habet 7, 71, 5 *παραπλησία δὲ καὶ οἱ ἐπὶ τῶν νεῶν αὐτοῖς ἔπασχον*, ubi re vera naves pro loco nominantur; milites enim in navibus collocati similia pati atque copiae terrestres narrantur. — Verba traiiciendi et quidem *περαιοῦσθαι* coniuncta cum enuntiato *ἐπὶ πλοίου* 6, 61, 7; 88, 9 et *διαβαίνειν ἐπὶ σχεδιῶν* 6, 2, 4 usurpantur. Pars autem navis *κατάστρωμα*, in quo hoplitae collocati vel apparatus dicuntur, legitur 1, 49, 3, eiusque pluralis *ἐπὶ τῶν καταστρωμάτων* 1, 49, 1. 7, 67, 2; 62, 1. Verba quae scripta sunt 7, 59, 3 *ἐπ' ἀγκυρῶν ὁρμίζειν* (sc. *ναῦς*) vertimus „die Schiffe vor Anker legen“, proprie valet in ancoris constituere, naves quasi nituntur ancoris.

Saepius *τεῖχος* commemoratur, in quo homines dicuntur: *ἐπὶ τοῦ τείχους ἐφαίνετο* 5, 7, 5. *ἐπὶ αὐτοῦ μεῖναι* 4, 100, 4. *οἱ δ' ἐπὶ τοῦ τείχους ἐταλαιπωροῦντο* 7, 28, 2. *βεβοηθηκότες πάντες πλὴν τῶν ἐπὶ τοῦ τείχους φυλάκων* 4, 32, 2. His omnibus locis *τεῖχος* non possumus vertere nisi „murus“; sin castellum, ut saepius usurpatum legimus 2, 78, 4, al., significaret, non *ἐπί* praepositione usus esset Thucydides, sed *ἐν τῷ τείχει* scripsisset. Itaque postremo loco allato *οἱ ἐπὶ τοῦ τείχους φύλακες* non tam praesidium in castello, quam singuli milites intellegendi sunt, qui in castelli muro erant dispositi. Denique loci 4, 110, 2 *λαθόντες τοὺς ἐπὶ τοῦ ἀνώτατα φυλακτηρίου φρουρούς* verba *ἐπὶ τοῦ φυλακτηρίου* respondent accuratissime nostris „auf Posten“.

Singulare exemplum Thucydideum est citandum 6, 101, 3 *διὰ τοῦ ἕλους ᾗ πηλῶδες ἦν καὶ στεριφώτατον θύρας*

καὶ ξύλα πλατέα ἐπιθέντες καὶ ἐπ' αὐτῶν διαβαδίσαντες; hoc enim exemplo ἐπί structura pendet a verbo movendi διαβαδίζειν ita, ut exprimatur praepositione locus, per quem transeunt. Latini vero non tam uterentur „per“ praepositione cum Accusativo coniuncta, quam Ablativo non addita praepositione, quum θύρας καὶ ξύλα πλατέα pro instrumentis haberent, quibus transitus esset effectus, nos autem vertimus „über — hin“; conferenda est similis structura Caesaris: paludem pontibus consternere (B. G. 8, 14) quamquam non prorsus quadrat hoc exemplum. Ἐπὶ τοῦ νώτου iam supra tractavimus.

b. Quod attinet ad significationem „auf“ rebus memoratu dignis pertractatis, pervenimus ad alium usum ἐπί, quod respondet nostro „an“. Neque semper cogitandum est de ipsis lateribus rei, in quibus alia res sit, potius ἐπί plerumque auctiore intellectu quo nostrum „an“ usurpatur. Nam quum dicamus, „an dem Haus steht jemand“, non semper nobis in animo est aliquem esse in aedium latere, neque ad eius latus, sed omnino ad domum, haud procul ab ea; eodemque modo etiam ἐπί indicat res vel homines, qui aliis proximi sunt, et verti potest „an, bei“. — Primum exemplum, quod tractabimus, exstat 2, 93, 4 et quamquam iam sub a. citari poterat, hoc tamen illustrabimus, praesertim quum unus ex perpaucis locis sit, quibus de ipso latere ἐπί accipi potest, legimus autem: φρούριον ἐπ' αὐτοῦ (τοῦ τῆς Σαλαμῖνος ἀκρωτηρίου) ἦν καὶ νεῶν τριῶν φυλακή. Nullo alia modo interpretari possumus locum nisi hoc: castellum in promontorio illius insulae erat situm, tres autem naves ad eius latera custodiendi causa dispositae erant. — Non rarius quam quinquies et tricies noster auctor utitur structura ἐπὶ Θρᾴκης, quo ex numero loci triginta duo ad hunc usum referendi sunt. Loca quae ἐπὶ Θρᾴκης memorantur, sunt coloniae Graecorum ad Thraciae oram maritimam conditae [1]). Ἐπὶ Θρᾴκης invenitur coniunctum

1) Vide Popp. p. I. v. II. p. 344 sqq. Classen ad 1, 56, 2.

cum substantivo vel articulo deficiente substantivo, sed ex connexu supplendo et quidem ad loca significanda: τὰ ἐ. Θ. χωρία 2, 29, 4. 5, 2, 1; 12; 80, 2; τὰ ἐ. Θ. supplendo χωρία 1, 59, 1; 68, 4. 2, 9, 4; 67, 4. 4, 78, 1; 82; 104, 4. 5, 21, 1. 8, 64, 2. Ἠιὼν ἡ ἐ. Θ. 4, 7. De hominibus, qui ad Thraciae oram habitant vel versantur, legimus: οἱ ἐ. Θ. Χαλκιδῆς 1, 57, 5. 2, 79, 1; 95, 1. 5, 31, 6; 83, 4. 6, 7, 4; 10, 5. οἱ ἐ. Θ. ξύμμαχοι 1, 56, 2. 4, 102, 1; 122, 2. 5, 26, 2. οἱ non addito substantivo ἐ. Θ. 5, 30, 2; 35, 3. οἱ ἐ. Θ. ἀφεστῶτες 4, 79, 2. οἱ ἐ. Θ. στρατιῶται 5, 35, 5; 67, 1. Bellum quod Sitalces gesturus est pro Atheniensibus contra colonias ad Thraciae oram sitas, quae ab illis defecerant, simulque in Perdiccam, regem Macedonum, Thucydides appellat 2, 29, 5 τὸν ἐ. Θ. πόλεμον et 95, 2 τὸν ἐ. Φ. Χαλκιδικὸν πόλεμον. — 4, 70, 1 et 74, 1 narratur Brasidam bellum parasse in socios Atheniensium ad Thraciae oram habitantes: τὴν ἐπὶ Θρᾴκης στρατείαν 74, 1 et deficiente articula 70, 1; qua de re vide infra. — Porro significat ἐπί ad fines 5, 34, 1 Λέπρεον κείμενον ἐπὶ τῆς Λακωνικῆς καὶ τῆς Ἠλείας, Lepreon sive Lepreos urbs sita est in Elide non procul a finibus Laconicae et Elidis [1]). — 7, 43, 4 τὰ στρατόπεδα ἃ ἦν ἐπὶ τῶν Ἐπιπολῶν τρία, haec trina castra non in summo Epipolarum, sed ad inferiorem partem, ad earum radices posita esse videntur [2]). — 2, 34, 5 τὸ δημόσιον σῆμα, ὅ ἐστιν ἐπὶ τοῦ καλλίστου προαστείου τῆς πόλεως, suburbium ipsum Athenarum, cui nomen erat Ceramicus, et exterior quidem pars magna ex parte publicum sepulcrum fuit [3]); valent igitur verba ἐπὶ τοῦ προαστείου in suburbio, „in der V.“

Praeter ceteros locos est observandus 8, 81, 1 τέλος ἐπ' ἐκκλησίας ἔπεισε τὸ πλῆθος τῶν στρατιωτῶν. Quaeritur

1) cf. Bursian K., Geogr. v. Griechenl. II, 277 sq.
2) cf. Popp. et Goell. ad h. l.
3) Bursian I, 322.

utrum ἐπ' ἐκκλησίας tenendum sit ex optimorum et plurimorum codicum auctoritate, quam sequuntur Bekker, Haase [1]), Krüger, Böhme, adnotante Poppone etiam Bloomfield, Dobree, Arnold, an praeferamus ἀπ' quod prius vulgatum Goeller et Poppo defendunt. Goeller ad l. c. adnotat: „Et ἐπ' ἐκκλησίας offerunt libri quamplurimi. Vulgo ἀπ' »et ἀπ' ἐκκλησίας videtur ita dici posse, ut c. 79 καὶ δόξαν αὐτοῖς ἀπὸ ξυνόδου ὥστε διαναυμαχεῖν.« Duk. Abr. confert c. 97 ἀφ' ὧν (ἐκκλησιῶν) νομοθέτας ἐψηφίσαντο Popp. Quare vulgatam restitui." Quamquam Dukerus ipse rem in medio relinquit, quum dicat „ἀπ' ἐκκλησίας videtur ita dici posse", Goeller tamen sine dubitatione in textum recepit vulgatam, quoniam Abreschio adnotante verba c. 97 conferenda essent, neque dicit ἐπ' ἐκκλησίας prorsus falsum esse et suam restitutam lectionem defendit verbis „ἀπ' ἐκκλησίας videtur ita dici posse", concedit igitur se nescire, quid rectius sit. Verba autem c. 97, 2 nequaquam ad hunc locum quadrant, quod unusquisque utrumque locum diligentius inspiciens intelleget. Poppo vero exclamat: „Quid ergo faciet (Arnold) verbis c. 97? et quomodo demonstrabit ἐπ' ἐκκλησίας dictum esse pro Latinis in concione?" Puto verba c. 97, 2 non eadem vi atque in nostro loco dicta posse contemni, praesertim quum Haase, quem sequor, c. l. compluria attulerit exempla, quae simillima nostro ἐπ' ἐκκλησίας sint, et ex quibus pateat optime dici posse ἐπ' ἐκκλησίας, nam haec ipsa formula legitur apud Memnon. hist. Heracl. 59 et adiecto articulo ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας apud Polyaen. Strategg. V, 3, 2; simulque Haase docuit ἐπ' ἐκκλησίας dici posse pro Latinis in contione. Censeo igitur tenendam esse optimis libris traditam lectionem ἐπ' ἐκκλησίας, verisimile mihi videtur esse ἀπ' vulgatam ex verbis c. 97, 2 hoc loco receptam esse. Sane nolim ἀπ' prorsus repudiare, concedo enim

1) **Haase Fr., lucubrationes Thucydidiae Berolini 1841. p. 63 sqq.**

id dici posse, sed nulla re cogimur ab optime tradito et defendendo ἐπ' recedere.

Unum solum exemplum afferre possumus ἐπί coniuncti cum Genetivo nominis dearum 1, 126, 11, ubi de Cylonis scelere narratur: καθεζομένους δέ τινας καὶ ἐπὶ τῶν σεμνῶν θεῶν ἐν τοῖς βωμοῖς ἐν τῇ παρόδῳ διεχρήσαντο. Recte mihi videtur interpretari Classenius: homines quum ex Minervae ara, quo prius confugerant, abducerentur, in via cognoverunt se supplicio affectum iri, itaque nonnulli aris Furiarum praetereuntes ad aras in ipso Furiarum templo considentes sunt confecti. Nolim verba ἐπὶ τῶν σεμνῶν θεῶν tam intellegi in Furiarum templo, quamquam sane ibi caedes est facta, quam ad Furias „Angesichts derselben", id est ad earum simulacra, quae in illo collocata erant. Pausania (1, 28, 6) enim auctore et aedes Furiarum ibi fuit et earum dearum simulacra illic posita fuerunt; atque ad ea confugisse homines veritos, ne necarentur, ego quidem censeo. Neque vero putem per ellipsin nostra verba esse intellegenda ita, ut totum enuntiatum supplendum sit ἐπὶ τοῦ τῶν σεμνῶν θεῶν ἱεροῦ, quod ferri possit; ellipsis si sit accipienda, potius non esse usurpandam praepositionem ἐπί, sed ἐν, ut fugiamus ambiguitatem, quae verbis insit ἐπὶ τῶν σεμνῶν θεῶν. Thucydides autem videtur mihi uti his verbis ad locum quam accuratissime significandum, ubi perpetrata sit caedes, simulque demonstrare scelus percussorum, qui manus a supplicibus non abstinuerint ante oculos Furiarum, quum eae ex Graecorum sententia in templo adsint.

Denique absolvo locum 1, 109, 4 ξηράνας τὴν διώρυχα καὶ παρατρέψας ἄλλῃ τὸ ὕδωρ τάς τε ναῦς ἐπὶ τοῦ ξηροῦ ἐποίησε καὶ τῆς νήσου τὰ πολλὰ ἤπειρον, quum aqua deducta maximam insulae partem siccam continentem fecisset, naves in sicco constiterunt. Breviloquentia quadam est dictum hoc enuntiatum. Nos vertimus „er versetzte die Schiffe auf das Trockene", Graecorum autem

Genetivus demonstrat eos de hac re aliter cogitare. Utimur Accusativo, quasi naves in siccum translatae sint, Graeci vero accuratius rem inspicientes indicant naves non esse motas ab aliquo loco ad alium, sed in eodem mansisse, deducta aqua in sicco constitisse.

2. Secundo indicat spatii punctum, ad quod homo vel res se movet vel spectat et ita quidem, ut locus vel res, quae petuntur, quasi finis constitutus vel constituendus sint intellegenda. Inter omnes constat verbis movendi tendendi notionem subesse duplicem: vel amico vel infesto animo tendere ad aliquid. Si prior notio verbo inest, vertimus *ἐπί* cum tali verbo coniunctum vernaculo „nach", sin altera nostro „gegen"; Latinorum autem in universum respondet in praepositio sequente Accusativo. Sed omnibus locis, quibus *ἐπί* sequente Genetivo hac significatione „gegen" usurpatum exstat, pendet tantummodo ex verbis, quae appellari liceat media, quibus non infesta actio inest nisi e nexu; nusquam legimus apud nostrum scriptorem verba *πολεμεῖν, στρατεύειν*, alia eiusmodi coniuncta cum *ἐπί* sequente Genetivo, at Accusativo saepius. Plerumque nomina propria a tali *ἐπί* significante „nach, gegen" pendent excepta formula *ἐπ' οἴκου*, quam non rarius quam sexagies et septies enumerare possim; tum *ἐπὶ τοῦ κόλπου* 2, 90, 1; adiecto *Μηλιέως* adiectivo 8, 3, 1; denique *ἐπὶ τῆς ἐσβολῆς* 3, 112, 2, sed hi tres loci continent hostilem animum. Exempla, quibus infestus animus subest, multo sunt rariora quam ea, quibus simpliciter tendere aliquis ad locum indicatur. Cum Grotio [1]) consentio saepius loca, quorum Genetivus ab *ἐπί* particula pendet, esse non amica, sed inimica, simul puto rarissime Thucydidem *ἐπί* sequente nominis Genetivo infestum animum indicasse, potius motum ad locum neque observasse loca utrum sint inimica aut amica, quamobrem non discerno structuras, ubi cum *ἐπί* inimicitiarum significatio coniungitur aut non coniungitur, sed utramque simul pertracto. Certe infestus animus agnoscendus est 3, 97, 2: *ἐχώρει ἐπὶ Αἰγιτίου καὶ κατὰ κράτος αἱρεῖ ἐπιών*; etiam huc spectant 4, 70, 1 *ἐπὶ Θρᾴκης στρατείαν παρασκευαζόμενος* et 74, 1 *τὴν ἐπὶ Θρᾴκης στρατείαν παρεσκεύαζεν*. Pendet autem *ἐπί* significans „nach, gegen" ex verbis transitivis et intransitivis hisce: mittendi *στέλλειν* 2, 69, 1. *ἀποπέμπειν* 1, 62, 4. *παραπέμπειν* 8, 61, 1; nuntiandi *περιαγγέλλειν* 1, 116, 1; movendi, eundi, veniendi *ὁρμᾶν* 4, 96, 7. *ἀπελθεῖν* 3, 18, 1. *ἵστασθαι* 3, 23, 2 et 4. *οἴχεσθαι* 1, 116, 3. 118, 3. *ἐλαύνειν* 8, 108, 3. *πορεύεσθαι* 6, 65, 1. 8, 109, 1. *χωρεῖν* 3, 97, 2. 112, 2. 5, 59, 2. *ἀναχωρεῖν* 3, 102, 5. 8, 79, 4. *ἀποχωρεῖν* 2, 94, 3. *ἀφικνεῖσθαι* 1, 60, 3. 8, 79, 3. porro vergendi *τρέπεσθαι* 8, 3, 1. navigandi *ἀνάγεσθαι* 1, 137, 2. *πλεῖν* 1, 116, 3. 2, 94, 3. 6, 62, 1. 7, 1, 2. 8, 32, 1; 33, 1; 39, 1. *ἀποπλεῖν* 7, 31, 1. 8, 19, 4; 79, 5; 102, 1. *καταπλεῖν* 8, 79, 4. *παραπλεῖν* 2, 102, 1. 6, 62, 4; 94, 1. 7, 26, 3; 35, 1. *παρακομίζεσθαι* 6, 52, 1. deinde fugiendi *φεύγειν* 8, 19, 3. *φυγὴν ποιεῖσθαι* 8, 16, 2. *διαφεύγειν* 8, 102, 2. Tum *ἐπ' οἴκου* invenitur plerumque coniunctum cum verbis *ἀναχωρεῖν, ἀποχωρεῖν*. Huc etiam pertinet formula *ἡ ὁδὸς φέρει ἐπί τινος τρόπου*, quae respondet accuratissime Latinae „via fert aliquo" et nostrae „der Weg führt irgendwohin". Plenam non legimus hanc formulam apud Thucydidem, sed vel *ὁδός* vel *φέρει* vel *ὁδός* simulque *φέρει* supplenda sunt. 3, 24, 1 *τὴν ἐπ' Ἀθηνῶν φέρουσαν*. 5, 58, 4 *τὴν ἐπὶ Νεμέας ὁδόν*. 3, 24, 2 *τὴν ἐπὶ τῶν Θηβῶν*. 4, 130, 2 *ᾗ ἐπὶ Ποτιδείας*. 7, 80, 2 *ἣν ἡ ξυμπᾶσα ὁδὸς αὕτη οὐκ ἐπὶ Κατάνης*, ubi *ὁδός* non de via sumenda est, sed de itinere faciendo. Simile 3, 92, 4 *τῆς ἐπὶ Θρᾴκης χρησίμως ἕξειν*.

1) Gesch. Griechenl. Bd. 3. p. 486 übers. v. N. N. W. Meissner.

§. 3. De temporali vi.

A loco ad temporis spatium significandum transfertur *ἐπί*, sed etiam apud nostrum auctorem hic usus tempora-

lis varius invenitur. Ἐπί autem temporale cum Genetivo hominum coniungitur, quorum tempore sive memoria alii vixerunt vel aliquid fecerunt, et valet particula „während, zur Zeit“, sin reges, duces decuntur „unter“. 1, 13, 6 *Σάμου τυραννῶν ἐπὶ Καμβύσου.* 5, 36, 1 *ἔτυχον γὰρ ἔφοροι ἕτεροι καὶ οὐκ ἐφ' ὧν αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο ἄρχοντες ἤδη.* 6, 89, 5 *ἄλλοι δ' ἦσαν καὶ ἐπὶ τῶν πάλαι καὶ νῦν οἱ…* Porro 6, 59, 3 *τῶν ἐφ' ἑαυτοῦ*, aequales Hippiae appellantur. 7, 86, 5 *τῶν γε ἐπ' ἐμοῦ Ἑλλήνων* suos aequales nominat Th. 8, 97, 2 *τὸν πρῶτον χρόνον ἐπί γ' ἐμοῦ* per primum tempus meae quidem vitae. Interdum autem participium praesentis additur substantivo, quo magis spatium temporis pateat: 1, 13, 6 *Ἴωσιν ὕστερον πολὺ γίγνεται ναυτικὸν ἐπὶ Κύρου Περσῶν πρώτου βασιλεύοντος.* 2, 2, 1 *Χρυσίδος ἱερωμένης, Πυθοδωρόυ ἄρχοντος.* 5, 25, 1 *Ἀλκαίου ἄρχοντος.* [1]) Quod legimus 6, 34, 9 *τὸ δ' ἤδη τὰς μετὰ φόβου παρασκευὰς ἀσφαλεστάτας νομίσαντας ὡς ἐπὶ κινδύνου πράσσειν*, recte videtur intellexisse Arnold adnotante Poppone ad. h. l. valere *ἐπὶ κινδύνου* in periculo, tempore periculi, quum periculum adest. — Plerumque vero simul cum tempore, quo res fiunt, auctor vel causa indicatur, qua res fiunt; de qua vide infra. Sic 6, 6, 2 *τὴν γενομένην ἐπὶ Λάχητος καὶ τοῦ προτέρου πολέμου Λεοντίνων ξυμμαχίαν ἀναμιμνήσκοντες* duplicem in modum ἐπί accipiendum est, quum utroque *ἐπὶ Λάχητος* et *ἐπὶ τοῦ προτέρου πολέμου* tempus foederis icti, tum *ἐπὶ Λάχητος* simul eius auctor nominatur, nam Laches dux Atheniensium prioris belli tempore cum Egestanis foedus fecerat, quod Atheniensibus in memoriam reducunt.

§. 4. De metaphorico usu.

Ut iam vidimus a loco ad temporis spatium ἐπί transferri posse, ita nunc pervenimus ad ἐπί metaphorice

1) Krueger, Griech. Gramm. § 47, 4, 6.

adhibitum; variis autem modis usurpatum legimus, pauca tamen exempla ex Thucydide afferre possumus.

1. Quod iam §. 3 de tempore adnotavi, ἐπί indicat auctorem vel causam alicuius rei. Omnia tamen exempla eiusmodi sunt, ut simul cum auctore etiam de tempore, quo res fit, sit cogitandum, et vertimus Graecorum praepositionem nostris „unter, durch“. 1, 93, 3 *ὑπῆρκτο δ' αὐτοῦ (τοῦ τὰ λοιπὰ τὰ τοῦ Πειραιῶς οἰκοδομεῖν) πρότερον ἐπὶ τῆς ἐκείνου ἀρχῆς.* [1]) 2, 54, 3 *ἐνίκησε δὲ ἐπὶ τοῦ παρόντος εἰκότως λοιμοῦ εἰρῆσθαι.* 2, 65, 5 *ἐγένετο ἐπ' ἐκείνου μεγίστη.* 6, 103, 4 *τοὺς στρατηγοὺς ἐφ' ὧν αὐτοῖς ταῦτα ξυνέβη ἔπαυσαν.* Ceteri loci leguntur 1, 139, 1. 2, 15, 1; 97, 3. 5, 18, 5. 6, 6, 2; 38, 4; 94, 1; 103, 4.

2. Cum Genetivo personae copulatum exprimit aliquid esse alicuius hominis, esse eius commodum. Unum solum exemplum Th. praebet 1, 17 *τύραννοι τὸ ἐφ' ἑαυτῶν μόνον προορώμενοι ἔς τε τὸ σῶμα καὶ ἐς τὸ τὸν ἴδιον αὔξειν*, tyranni suis tantum rebus prospicientes, quae attineant ad corpus suum (tutandum) et ad rem suam familiarem augendam [2]) De 1, 141, 6 vide p.

3. Intellegimus „sui iuris esse, per se quid facere, ex aliorum arbitrio non pendere“ ἐπί coniunctum cum pronominis reflexivi Genetivo. Quinque locos proferre possum: 2, 63, 3 *ἐπὶ σφῶν αὐτῶν αὐτόνομοι οἰκήσειαν.* 5, 67, 1 *ἀεὶ ταύτην τὴν τάξιν μόνοι Λακεδαιμονίων ἐπὶ σφῶν αὐτῶν ἔχοντες.* 8, 63, 4 *αὐτοὺς δ' ἐπὶ σφῶν αὐτῶν ὁρᾶν ὅτῳ τρόπῳ μὴ ἀναθήσεται τὰ πράγματα.* 8, 8, 1 *ἐφ' ἑαυτῶν διενοοῦντο ἄλλῳ στόλῳ πλεῖν.* 6, 40, 2 *αὐτὴ δ' ἐφ' αὑτῆς σκοποῦσα.*

4. Denique tractabo ἐπί cum numerali vocabulo coniunctum, quod distributivam illi notionem tribuat. 2, 90, 1 *ἐπὶ τεσσάρων ταξάμενοι τὰς ναῦς*, quattuor naves unam post alteram collocaverunt iuxtaque unamquamque

1) E. Curtius, Griech. Gesch. Berlin 1861. Bd. 2. p. 16.
2) Popp. adn. ad h. l.

iterum atque iterum singulas ita, ut postremo omnes in quadruplici acie dispositae essent, primis quattuor collocatis ceterae quasi nixae sunt, qua ex re ἐπί usus est evolvendus. Eodem modo de exercitu pedestri collocato narratur 7, 79, 1 τὴν πεζὴν στρατιὰν παρατεταγμένην οὐκ ἐπ' ὀλίγων ἀσπίδων, ubi ἀσπίδων voce carere possimus. De locis 4, 94, 1 ἐπὶ ὀκτὼ πᾶν τὸ στρατόπεδον ἐτάξαντο. 5, 68, 3 ἐπὶ πᾶν κατέστησαν ἐπὶ ὀκτώ. 6, 67, 1 τεταγμένον ἐπὶ ὀκτώ (bis) ib. § 2 ἔταξαν τοὺς ὁπλίτας ἐφ' ἑκκαίδεκα dubitari potest, utrum horum numeralium, quae flecti non possunt, Genetivus an Accusativus intellegendus sit, nam in talibus enuntiatis etiam Accusativus usurpatur. Ex sententia Krügeri [1]) Accusativo utuntur, si de motu cogitemus. Sed plana mihi haec res non est, quam ego quidem ex exemplis Thucydideis cognoscere non possum, verisimile esse mihi non videtur collocato loco Xen. Anab. 4, 8, 11 Ἔπειτα ἢν μὲν ἐπὶ πολλοὺς τεταγμένοι προσάγωμεν, περιττεύσουσιν ἡμῶν οἱ πολέμιοι καὶ τοῖς περιττοῖς χρήσονται, ὅτι ἂν βούλωνται· ἐὰν δὲ ἐπὶ ὀλίγων τεταγμένοι ἴωμεν, οὐδὲν ἂν εἴη θαυμαστόν, εἰ διακοπείη ἡμῶν ἡ φάλαγξ. Quum autem Kühnerus [2]) doceat hanc Accusativi structuram multo rariorem esse Genetivo, non dubito Thucydidis exempla, quibus certus casus cognosci non potest, hoc loco afferre. Non aliter atque illud ἐπὶ τεσσάρων illustratur ἐπὶ κέρως „in einer Colonne" 6, 32, 2; 50, 3. 8, 104, 1, cui 2, 90, 4, ut planior fiat, κατὰ μίαν additur. Denique eiusmodi est 5, 103, 2 ἀσθενεῖς τε καὶ ἐπὶ ῥοπῆς μιᾶς ὄντες, ab uno rerum momento pendentes [3]).

1) Gr. Gr. § 68, 40 A. 6.
2) Ausf. Gr. d. Gr. Spr. § 438, III, 1 b.
3) cf. Popp. adn. ad h. l.

B. De Dativo.

§. 5. De locali usu.

Ἐπί praepositioni etiam cum Dativo coniunctae primaria inest notio localis, transfertur autem interdum ad tempus particula et saepissime metaphorice usurpatur.

Locali vi missis certis Genetivi formulis ἐπ' οἴκου, ἐπὶ Θρᾴκης Thucydides Dativo non rarius, immo fortasse saepius quam Genetivo utitur. Eadem fere ratione cum hoc vel illo casu coniunctum saepe respondet Latinorum praepositionibus „in" sequente Ablativo et „ad" cum Accusativo coniuncto nostrisque „auf, an, bei, zu". Interesse mihi videtur inter praepositionem Genetivo et Dativo copulatam hoc: sequente hoc casu ἐπί indicat tantum locum, in quo res versantur vel cui sunt impositae, at Genetivo saepius simul in loco significando de instrumento, quo res nituntur, cogitantum est. Profero exempla, ex quibus res planior fiat: 4, 10, 3 ἐπὶ γὰρ ταῖς ναυσὶ ῥᾴστοί εἰσιν ἀμύνεσθαι, ἀποβάντες δὲ ἐν τῷ ἴσῳ ἤδη, donec opportunum locum, ait Demosthenes, in navibus tenerent, facile se defendere posse ab hostibus, loco autem mutato in terram egressis hostes pares fore. 2, 80, 2 τοὺς ὁπλίτας ἐπὶ ναυσὶν ὀλίγαις πέμπουσι, sane hoc exemplum magis est dubium. Simile 4, 67, 3 ἐπὶ ἁμάξῃ κατακομίζειν, pro quo viri docti ἁμάξης malunt. Raro invenimus tales structuras, apud nostrum auctorem nullam praeter citatas.

Atque totum localem usum divido in partes duas:

1. Si de summa area loci vel rei cogitamus, vertimus Latine „in", vernacule „auf", atque ἐπί indicat locum vel rem, in quibus quis vel quid versatur vel quibus imponitur. 1, 56, 2 οἰκοῦσιν ἐπὶ τῷ ἰσθμῷ τῆς Παλλήνης. 7, 19, 2 ἐπὶ τῷ πεδίῳ καὶ τῆς χώρας τοῖς κρατίστοις ᾠκοδομεῖτο τὸ τεῖχος. 4, 55, 1 γεγενημένου τοῦ ἐπὶ τῇ νήσῳ πάθους dicitur Cytherorum insulae occupatio per Athenienses facta. 1, 7 ἐπ' αὐτοῖς τοῖς αἰγιαλοῖς

τείχεσιν ἐκτίζοντο, antea urbes sitas esse narrat Th. ob piratas procul a mari, tum autem quum urbibus maiores factae essent opes, ut se ab illis defendere possent, urbes ad mare transpositas in ipsis oris esse conditas. Colles autem sive loca excelsa (promontoria) nominantur haecce: 5, 6, 3 *ἀντεκάθητο ἐπὶ τῷ Κερδυλίῳ*, simile § 5. 6, 97, 4 *μάχῃ νικηθέντες ἐπὶ ταῖς Ἐπιπολαῖς*. 102, 1 *μέρος τι αὐτῶν πέμπουσιν ἐπὶ τὸν κύκλον τὸν ἐπὶ ταῖς Ἐπιπολαῖς*. 97, 5 *φρούριον ἐπὶ τῷ Λαβδάλῳ ᾠκοδόμησαν ἐπ' ἄκροις τοῖς κρημνοῖς τῶν Ἐπιπολῶν*. 1, 30, 1 *τροπαῖον στήσαντες ἐπὶ τῇ Λευκίμμῃ* cf. 47, 2. — 2, 84, 4 *ἐπὶ τῷ Ῥίῳ* et 5, 52 2. — 8, 106, 4 *ἐπὶ τῇ ἄκρᾳ*. 8, 69, 1 *οἱ μὲν ἐπὶ τείχει* opponuntur *τοῖς δ' ἐν τάξει*. De sacrificio in ara constituendo: 6, 3, 1 *βωμὸν ἱδρύσαντο ἐφ' ᾧ θύουσιν*. Pertinent huc loquendi formulae *μένειν ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ* 4, 105, 2 et *ἐπὶ τοῖς σφετέροις αὐτῶν* 8, 86, 3. Eadem ratione ac nos Graeci de acie dicunt *ἐπὶ τῷ κέρᾳ* „auf dem Flügel" *εἶναι* 1, 49, 6. 4, 43, 5 (*ἐφ' ᾧ*); 93, 4; 94, 1. 5, 67, 1 et ib. 6, 104, 4. — *ἡσσᾶσθαι* 1, 50, 1. *τάσσειν* 2, 90, 2. *ἐπιτάσσεσθαι* 6, 67, 2. Etiam Thucydides, quod omnibus licet, saepe omittit vocabulum *κέρᾳ* in tali structura. De cadaveribus coacervatis invenitur *ἐπ' ἀλλήλοις κεῖσθαι* 2, 52, 2. 7, 85, 1. *ξυννενῆσθαι* 7, 87, 2.

2. Frequentior vero est usus nostrae praepositionis, quo res vel loca ad mare, fluvium, ostium, tale quid sita dicuntur. Atque *ἐπί* hac ratione indicat locum non modo ad cuius latera sed etiam omnino prope ad quem sunt sitae urbes.

a. Re vera de lateribus cogitamus et vertimus nostro „an" in locis significandis ut *ἐπὶ θαλάσσῃ* 4, 54, 1 et ib. 1, 58, 2. *Ἠιών* 1, 98, 1. *τεῖχος* 4, 57, 1. 7, 4, 2. *Καρία* 2, 9, 4. *ἄκραι* 6, 2, 6. — Ad fluvium, sitam audimus *Ἀμφίπολιν τὴν ἐπὶ τῷ Στρυμόνι ποταμῷ* 4, 102, 1 cf. *περιπόλιον ἐπὶ τῷ Ἄληκι ποταμῷ* 3, 99. Porro *ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ Ἀμπρακικοῦ τὸ ἱερόν* 1, 29, 3. *Ἀνακτόριον* 1, 55, 1. 4, 49. *τοῦ Πόντου Χαλκηδών* 4, 75, 2. *τοῦ ποτα-*

μοῦ ἐμποριον 4, 102, 4. *τοῦ λιμένος τὸν πύργον* 8, 90, 4. *τὸ ἐπὶ τῷ λιμένι πόλισμα* 4, 54, 4 Scandeam occupant Athenienses. Ad oram sita legitur *Ἀταλάντη ἡ ἐπὶ Λοκροῖς τοῖς Ὀπουντίοις νῆσος* 2, 32. 3, 89, 3. Athenienses dicuntur expulisse Cytherios *ἐπὶ τῇ Λακωνικῇ τῆς νήσου οὕτως ἐπικειμένης* 4, 54, 3. Melius autem hos tres postremo citatos locos accipimus non „an der Küste von L.", sed potius „der Küste von L. gegenüber". Narrantur etiam homines vel res quae ad latera loci versantur vel aliquid faciunt. Exercitus *ἐστρατοπεδεύσατο ἐπὶ τῷ Ἀπιδανῷ ποταμῷ* 4, 78, 5; simile *ηὐλίσαντο ἐπὶ τῷ Συμαίθῳ ποτ.* Demosthenes et Eurymedon exercitum lustrant *ἐπὶ τῷ Συβάρει ποταμῷ* 6, 35, 1. *ἐγένοντο ἐπὶ τῷ Ὑλίᾳ ποτ.* 7, 35, 2. *ἐπὶ τῷ ποτ. τῷ Κακυπάρει* 80, 5 et 6. *ἐπ' αὐτῷ (τῷ Ἀσσινάρῳ ποτ.)* 84, 3. — *ἐπὶ τῇ διαβάσει τοῦ Ἀνάπου ποτ.* 78, 3. — *Ἀπαντᾶν* verbum constructum *ἐπί* sequente Dativo legimus *ἐπὶ τῷ Ἐνιπεῖ ποταμῷ* 4, 78, 3. Tum *τοῦ χωρίου μηνοειδοῦς ὄντος ἐφ' ᾧ ὥρμουν* 7, 34, 2. sim. 2, 86, 4 *ἐπὶ τῷ Ῥίῳ ὡρμίσαντο*. Catanaeorum urbs sita erat ad Aetnae radices, sed etiam inferiorem montis partem coluerunt: *τῶν Καταναίων οἱ ἐπὶ τῇ Αἴτνῃ τῷ ὄρει οἰκοῦσιν* 3, 116, 1. De finibus dicitur *ἐγένετο ἐπὶ τοῖς ὁρίοις* 2, 12, 3. *ἐπὶ τῇ ἐσβολῇ τῆς Λύγκου* 4, 78, 3. Duplex notio inest *ἐπί* particulae 1, 30, 4 *ἀντεστρατοπεδεύοντο ἐπὶ τῇ Λευκίμμῃ ναυσί τε καὶ πεζῷ*, quum naves ad Leucimmam in ancoris essent, pedester exercitus in eo promontorio castra posuerat. cf. 51, 4. Eodem modo *ἡ ἐπ' Εὐρυμεδόντι ποταμῷ ἐν Παμφυλίᾳ πεζομαχία καὶ ναυμαχία* 1, 100, 1. Cimon postquam navali proelio in ostio Eurymedontis facto Persas fugavit ac fudit, extemplo eorum copias pedestres ad eum fluvium collocatas adortus devicit. — *τρίτον μέρος τῶν ἱππέων τοῖς Συρακοσίοις διὰ τοὺς ἐν τῷ Πλημμυρίῳ, ἵνα μὴ κακουργήσοντες ἐξίοιεν, ἐπὶ τῇ ἐν τῷ Ὀλυμπιείῳ πολίχνῃ ἐτετάχατο* 7, 4, 6, quem locum intellego: equites omnes in urbe collocati erant in praesidio, singuli autem

stationes ad urbem habuerunt et obequitarunt, ne ab hostibus improviso opprimi possent. Porro *διεξελθόντες μεταξὺ τῆς τε Ἀργείων πόλεως καὶ τῆς ἐπὶ Κρήναις Ἀκαρνάνων φυλακῆς* 3, 106, 3. Cogitandum est Crenis in castello fuisse praesidium et *ἐπί* eodem fere intellectu atque *ἐν* accipiendum; puto autem Thucydidem *ἐπί* neque *ἐν* scripsisse, quum ante oculos haberet praesidium in castello simulque milites in muris collocatos. Neque cogitare possumus ad castellum fuisse milites cavendi causa, ne Peloponnesii ad Ampractiotas occulto pervenirent, ab muris etiam longius prospicere potuerunt. Postremo mihi dicendum erit de loco, quem legimus 4, 26, 2 *διαμώμενοι τὸν κάχληκα οἱ πλεῖστοι ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ ἔπινον οἷον εἰκὸς ὕδωρ.* Lacedaemonii Sphacteriae obsessi, quum aqua defecisset, aquam glarea sita ad mare diffossa sibi paraverunt et aquam, ut erat, hoc modo ad mare partam biberunt. Censeo autem coniungendum esse *ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ* tantum cum *τὸν κάχληκα.* Nam ex ipso mari salsam et limosam aquam non hauserunt, sed ut melior et purior ea fieret, glarea ad mare diffossa foveam fecerunt, in quam per glaream inter mare et foveam relictam aqua purior penetrabat. Et hanc aquam hoc modo partam, ut erat pro tempore, biberunt.

b. Latiore vi etiam *ἐπί* particula dicuntur homines, res, loca ad aliquid, haud procul ab aliqua re ita, ut respondeat nostris „bei, in der Nähe“. 1, 30, 3 *ἐστρατοπεδεύοντο ἐπὶ Ἀκτίῳ καὶ περὶ Χειμέριον,* puto *ἐπί* usurpari, quod castra et in Actio promontorio et ad id cogitanda sint, quum *περὶ Χειμέριον* verba intellegantur „in der Gegend von Ch.“ De pugna apud Delium templum commissa legimus 5, 14, 1 *πληγέντες ἐπὶ τῷ Δηλίῳ.* 4, 101, 5 *ὑπὸ τὰς αὐτὰς ἡμέρας τοῖς ἐπὶ Δηλίῳ* per eosdem dies quum apud Delium pugnabant. Pugnae navales commemorantur 1, 105, 1 *ἐναυμάχησαν ἐπὶ Κεκρυφαλείᾳ* et ib. § 2 *ναυμαχία γίγνεται ἐπ' Αἰγίνῃ.* Porro de navibus, quae ad terram appelluntur vel stationem adversam

tenent, exstant loci: 8, 91, 2 *ὁρμοῦσαι ἤδη ἐπὶ Λᾷ.* 35, 3 *τὰς ἐπὶ τῷ Τριοπίῳ φρουρούσας ἓξ ναῦς.* 3, 6, 1 *τοὺς ἐφόρμους ἐπ' ἀμφοτέροις τοῖς λιμέσιν ἐποιοῦντο.* Milites, qui ad arma collocati sunt, dicuntur 7, 28, 2 *φυλάσσοντες ἐφ' ὅπλοις.* 8, 69, 1 *ἦσαν ἐφ' ὅπλοις* et ib. § 2. *μὴ ἐπ' αὐτοῖς τοῖς ὅπλοις, ἀλλ' ἄποθεν περιμένειν.* Etiam 6, 67, 1 *ἐπὶ ταῖς εὐναῖς* intellego milites ad tentoria, non ad litus [1]). Sagittarius, de quo 3, 24, 2 *ἐπὶ τῇ ἔξω τάφρῳ ἐλήφθη* narrat Th., ad fossam exteriorem captus est. Huc etiam spectat 7, 45, 1 *δύο τροπαῖα ἔστησαν ἐπί τε ταῖς Ἐπιπολαῖς ᾗ ἡ πρόσβασις καὶ κατὰ τὸ χωρίον ᾗ οἱ Βοιωτοὶ πρῶτον ἀντέστησαν.* Significatur verbis *ἐπὶ ταῖς Ἐπιπολαῖς ᾗ ἡ πρόσβασις* pars inferior, radices Epipolarum ubi escensus erat, id est: ubi in Epipolas escendebant [2]). Omnibus autem locis, in quibus *ἐπί* ea significatione „haud procul ab aliquo loco“ usurpatur, semper inest hic sensus, ut res in proximo alicui loco dicantur.

§. 6. De temporali vi.

Per totam linguam Graecam rarissime *ἐπί* cum Dativo coniunctum de tempore usurpari docent omnes grammatici, et recte haec res se habet, nam exceptis poetis et solutae orationis scriptoribus posterioris aetatis sparsim hic et illic invenitur, sic etiam in nostro auctore. Duo enim tantum loci temporali potestate certi afferri possunt, ubi de exeuntibus indutiis narrat Th.: 5, 14, 4 *ξυνέβαινε καὶ πρὸς τοὺς Ἀργείους αὐτοῖς τὰς τριακονταέτεις σπονδὰς ἐπ' ἐξόδῳ εἶναι* et 28, 2 *ἐπ' ἐξόδῳ γὰρ πρὸς αὐτοὺς αἱ σπονδαὶ ἦσαν,* ad finem indutiae vergebant. Sane iam vocabulo *ἔξοδος* sensus temporalis inest. Dubitari potest, utrum tempus an causa significetur his in locis: 7, 73, 3 *ἐπὶ τούτοις τάδε μηχανᾶται* et 8, 106, 5 *ἀνέλπιστον τὴν εὐτυχίαν ἀκούσαντες ἐπί τε ταῖς περὶ τὴν*

1) cf. Popp. adn. ad h. l.
2) cf. Popp. adn. ad h. l.

Εὔβοιαν ἄρτι ξυμφορᾶς καὶ κατὰ τὴν στάσιν γεγενημέναις πολὺ ἐπερρώσθησαν. Rectius esse puto de causa cogitari. De loco 8, 68, 4 [*ἐπ'*] *ἔτει ἑκατοστῷ μάλιστα* fere unum idemque sentiunt viri docti nos optime praepositione posse carere. Itaque Poppo, Goeller, Bekker in priore editione delere non dubitant, quod Krügerus uncis includit, Arnold vero, Bekker in altera editione, Boehme id tenent, nam plerique et optimi libri praepositionem praebent. Quum autem per Graecorum nobis traditas literas nullum aliud exemplum prorsus nostro respondens adhuc sit inventum et unusquisque hoc in loco mirum in modum esse usurpatum *ἐπί* concedat, non dubitem omissa praepositione legere *ἔτει ἑκατοστῷ μάλιστα*, quod optimum sensum praebet, aliquis nescio an Krügerum sequens eam includere uncis praeferet.

§. 7. De metaphorice usurpato *ἐπί*.

Saepissime et vario modo *ἐπί* cum Dativo coniuncta metaphorice usurpata et plerumque ita intellegenda est, ut res, quae pendet a particula, alia re innixa cogitetur.

1. Paucis locis invenitur Dativus personae sequens praepositionem nostram ea significatione, ut indicetur is, penes quem, cuius in potestate res sit, a quo pendeat. Imprimis formula: impetum in alicuius manu esse positum utitur Th. *αἱ ἐπιχειρήσεις ἐπ' ἐκείνοις εἰσίν* 7, 12, 5, quocum conferenda sunt *ἐπ' ἐκείνοις* 4, 29, 3; *ἐφ' ἑαυτῷ* 2, 84, 2; *ἐπ' ἐκείνοις δὲ ὄντος ἀεὶ τοῦ ἐπιχειρεῖν καὶ ἐφ' ἡμῖν εἶναι δεῖ τὸ προαμύνεσθαι* 3, 12, 3. Sui iuris esse „seinen freien Willen haben" valet *Λακεδαιμονίους δὲ καὶ τοὺς ξυμμάχους ἐφ' ἑαυτοῖς εἶναι* 8, 58, 6. — In alicuius potestatem venire redditur verbis *ἐπί τινι γίγνεσθαι*, ut *τά τε ἄλλα ὅσον δυνατὸν ἡτοιμάσασθαι καὶ μὴ ἐπὶ ἑτέροις γίγνεσθαι* 6, 22.

2. Conditio indicatur, qua res aliqua fit.

a. Dicuntur pactiones, indutiae, foedera hac vel illa

conditione inita, formulis utuntur *ἐπὶ τούτοις, ἐπὶ τοῖσδε* ea vel hac conditione; *ἐφ' οἷς, ἐφ' ᾧ* semel sequente *τε* qua conditione. Huc spectant loci *ἐπὶ τούτοις αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο* 4, 16, 3. *ὁμολογήσαντες* 4, 69, 3. *ξυμβεβάσθαι* 8, 98, 3. — *ἐπὶ τοῖσδε ξυνέβησαν ἐξελθεῖν* 2, 70, 3. *σπονδὰς καὶ ξυμμαχίας ἐποιήσαντο ὥστε* seq. Inf. Praes. 3, 114, 3. *ξυμμαχίαν ἐποιήσαντο* seqq. Imperatt. 8, 18, 1. — *ἐγένετο ἡ ὁμολογία καὶ προσεδέξαντο ἐφ' οἷς* (h. e. *ἐπὶ τούτοις ἅ*) *ἐκήρυξαν* 4, 106, 2. cf. 5, 41, 3. — Voces *ἐφ' ᾧ* et *ἐφ' ᾧ τε* vario modo constructas legimus quinquies apud Thucydidem:

α. Indicativus Futuri sequitur *ἐφ' ᾧ* verba: *σπονδὰς ποιησάμενοι ἐφ' ᾧ τοὺς ἄνδρας κομιοῦνται* 1, 113, 3. *ἀναστήσαντες δὲ αὐτοὺς ἐφ' ᾧ μηδὲν κακὸν ποιήσουσιν* 126, 11. *τοὺς ἐν τῇ νήσῳ ἄνδρας σφίσι τά τε ὅπλα καὶ σφᾶς αὐτοὺς κελεύειν παραδοῦναι ἐφ' ᾧ φυλακῇ τῇ μετρίᾳ τηρήσονται* 4, 30, 4.

β. Pendet Indicativus Praesentis verbi *ἰέναι* ex *ἐφ' ᾧ τε*: *ξυνέβησαν ἐφ' ᾧ τε ἐξίασιν* 1, 103, 1. Satis constat *εἶμι* Praesenti Futuri vim inesse et pro *ἐλεύσομαι* plerumque dici. Itaque hoc loco, ubi res Futurum poscat, Indicativus Praesentis alius verbi ferri non potest, ob Futuri significationem *ἐξίασιν* licuit scribere.

γ. Optativus Praesentis cum *ἄν* sequitur *ἐφ' ᾧ* uno loco: *λόγους ἐποιοῦντο πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους ἐφ' ᾧ ἂν σφίσιν αἱ σπονδαὶ γίγνοιντο* 5, 41, 1. De constructione formulae *ἐφ' ᾧ* (*τε*) cf. Kühner [1]).

b. De foederibus ad alias res transfertur. *ἀποικίαν ἐς τὴν Ἐπίδαμνον ἐκήρυσσον ἐπὶ τῇ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ τὸν βουλόμενον ἰέναι* 1, 27, 1. Classenio ad h. l. adnotante Ciceronis formula Off. 1, 34, 123: aequo et pari iure nostro loco respondet. Eadem formula *ἐπὶ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ* exstat 145. Similiter dictum *ἐπὶ τῇ ἴσῃ καταλύεσθαι* legimus 5, 15, 2 et *ἐπὶ τοῖς ἴσοις καὶ ὁμοίοις δίκας διδόντας* 79, 1 [2]).

---

1) Ausf. Gramm. § 584. Anm. 3 u. 4. § 586, 5.
2) De his structuris v. Class. adn. ad 1, 27, 1.

Porro eiusmodi sunt *Συρακούσας ἐπὶ πολιτείᾳ ᾤκησαν* 5, 4, 3. *ἐπ' ἐλευθερίᾳ ἀπιέναι* 7, 82, 1. *ὁρῶντες οὔτε τοὺς Ἀθηναίους ἐπὶ μετρίοις ποιήσοντας ἃ προυκαλοῦντο* 4, 22, 3.

3. *Ἐπί* significatur, id quod Latini dicunt, res quum ita se habeat, nos „unter den obwaltenden Umständen“. — Saepius invenitur hac significatione *ἐπὶ τούτοις*: *τὰ ἐπὶ τούτοις παρασκευάζειν* 1, 65, 1. *ὑπουργῶσιν* 7, 62, 3. *ὡς ἐπὶ τούτοις παρεσκευάζοντο* 7, 45. *οὐδὲ τῆς τροφῆς ἐπὶ τούτοις δεῖσθαι οὐδέν* 8, 43, 4. Huc etiam pertinent exempla qualia *ξυνήλθομεν καὶ οὐδὲ νῦν ἐπὶ φανεροῖς* 1, 69, 2. *ἐπὶ τοῖς δεινοῖς εὐέλπιδες* 70, 2. *τὸ μαντεῖον προῄδει μὴ ἐπ' ἀγαθῷ ποτε αὐτὸ κατοικισθησόμενον* 2, 17, 2 (rebus secundis). *ἔδοξεν αὐτοῖς ὡς ἐπὶ ξυμφορᾷ μεγάλῃ τὰ τέλη καταβάντας βουλεύειν* 4, 15, 1. — Reddimus *ἐπὶ τῷ παρόντι* 2, 36, 4. 6, 20, 1 Latine „pro tempore“, eodem fere modo pluralis *ἐπὶ τοῖς παροῦσιν* 8, 54, 4 usurpatur. Similiter dicuntur certae leges, in quibus sit posita aliqua res: *ἦσαν ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι πατρικαὶ βασιλεῖαι* 1, 13, 1. *ἥκιστα γὰρ πόλεμος ἐπὶ ῥητοῖς χωρεῖ* 122, 1.

4. Perpaucis locis pretium indicatur, quo aliquis aliquam rem faciat: *ἐπὶ τῷ κινδύνῳ οὐδεὶς ἂν δέξαιτο τῶν ξένων τὴν αὑτοῦ φεύγειν* 1, 143, 2. *ὅστις δ' ἐπὶ μεγίστοις τὸ ἐπίφθονον λαμβάνει, ὀρθῶς βουλεύεται* 2, 64, 5. *παρακληθέντων ἐς ξυμμαχίαν ἐπὶ τῇ ἡμισείᾳ τῆς γῆς* 5, 31, 2.

5. Affert causam, cur aliquid fiat, et vertitur nostris „aus, wegen“. Hoc intellectu exempla complura legimus, ut omnia enumerare sit longum, itaque nonnulla profero, simul praemitto talia verba cum *ἐπί* copulata saepius pro adverbiis usurpari et semel iuxta adverbium talem structuram inveniri: *ἐπ' αἰσχρᾷ τε αἰτίᾳ καὶ ἀδίκως ἀπολέσθαι* 7, 48, 4. Exstat *ἐπὶ προφάσει* „angeblich, unter dem Vorwande“ 3, 75, 4. 4, 80, 2. 5, 42, 1. 7, 13, 2. Pericles Athenienses bellum, si placeret, suscipere iussit *καὶ ἐπὶ μεγάλῃ καὶ ἐπὶ βραχείᾳ ὁμοίως προφάσει* 1, 141, 1. Idem auctoritate floruit apud cives suos, ut interdum in

eos sibi sumere posset, id quod nemo ausus esset: *ἔχων ἐπ' ἀξιώσει καὶ πρὸς ὀργήν τι ἀντειπεῖν* 2, 65, 8. Themistoclis ossa clam Atheniensibus in Attica sepulta esse feruntur, quamquam non licuit *ὡς ἐπὶ προδοσίᾳ φεύγοντος* 1, 138, 6. Alcibiades accusatur etiam ob eam causam: *τὰ μυστήρια ὡς ποιεῖται ἐν οἰκίαις ἐφ' ὕβρει* 6, 28, 1. Postremum affero *ὑπὸ Πεδαρίτου ἐπ' ἀττικισμῷ τεθνεώτων* 8, 38, 3. Quamquam grammatici docent saepius a verbis affectuum pendere *ἐπί*, hoc tamen minus perspicuum est in nostro auctore, nam totum eius librum perscrutanti mihi nulla exempla nisi duo occurrerunt: *ἐπὶ δὲ τῷ ἀγάλλονται*, antecedentibus sine praepositione verbis *τῷ μὲν αἰσχύνονται* 3, 82, 7 et *ἐφ' ἑαυτῷ μέγα φρονοῦντα* 6, 16, 4.

6. Complectitur consilium, quo homines rem aliquam aggrediuntur, ut id quod volunt assequantur, ita ut respondeat *ἐπί* structura Latinae „ad sequente Gerundio“ et nostrae „zu, zum Behufe“. Ad centum exempla ea vi noster scriptor praebet. Praecipue si de foederibus faciendis agitur, ea feriri narrantur: *ὅπλα δὲ μὴ ἐξέστω ἐπιφέρειν ἐπὶ πημονῇ* 5, 18, 4, idemque 47, 2. Idem enuntiatum ea sola commutatione ut pro *ἐπὶ πημονῇ* dictum sit *ἐπὶ κακῷ* 5, 18, 5, porro *ἐπὶ κακῷ* invenitur 2, 13, 1. 5, 44, 3; 77, 6. 8, 58, 3 bis et 4 bis; tum *ἐπὶ ταύτας* (sc. *πόλεις*) *μὴ ἰέναι ἐπὶ πολέμῳ μηδὲ κακῷ μηδενί* 8, 37, 2 bis. Alia saepius adhibita formula est *ἐπ' ἀγαθῷ* 1, 131, 1. 4, 87, 2; 114, 3. 5, 27, 2. 8, 92, 10; similis *ἐπ' ὠφελίᾳ* 1, 3, 2; 73, 2. 2, 29, 3; 37, 3. 5, 38, 2; 91, 2 et *ἐπὶ σωτηρίᾳ* 2, 13, 5. 5, 91, 2. 8, 33, 4; 72, 1; 86, 3. Deinde *ἐπὶ τιμωρίᾳ* 1, 58, 6. 3, 63, 2. 6, 76, 3. 7, 68, 1. De proelio navali committendo: *ἔκπλουν τινὰ ἐποιήσαντο τῶν νεῶν ὡς ἐπὶ ναυμαχίᾳ* 3, 4, 3. cf. 6, 34, 5. 7, 34, 1. Conversiones rerum commemorantur: *κατέλαβε τὴν ἀκρόπολιν ὡς ἐπὶ τυραννίδι* 1, 126, 5. *μετὰ τῆς ξυνωμοσίας ἐπὶ τῷ δήμῳ* 6, 61, 1. cf. 8, 47, 2.

7. Non raro infestum consilium indicatur nostra particula „gegen" vertenda. Plerumque personae nominantur, quibus aliquis inimicus est, tum etiam nomina locorum, in quae infesto animo aliquis est. — Lacedaemonii foedus ad Medos propulsandos initum negligere feruntur: *ἀφέντες τὴν γενομένην ἐπὶ τῷ Μήδῳ ξυμμαχίαν πρὸς αὐτούς* 1, 102, 4. 3, 63, 2. Similiter dictum 6, 79, 1. In aliquem naves vel duces esse collocatos narrat Th.: *αἱ δ' ἐφ' ἡμῖν τετάχαται* 3, 13, 3. *τὰς ἐπὶ σφίσι ναῦς ἐπεχούσας* 8, 105, 3. *τοῖς στρατηγοῖς τοῖς ἐπὶ σφίσι τεταγμένοις* 2, 70, 1. Corinthiorum legati ut Spartae bellum excitarent, ad finem orationis Athenas omnibus Graecis esse timendas exposuerunt verbis: *τὴν καθεστηκυῖαν ἐν τῇ Ἑλλάδι πόλιν τύραννον ἡγησάμενοι ἐπὶ πᾶσιν ὁμοίως καθεστάναι* 1, 124, 3. — Urbes vel insulae, ante quas copiae animo infesto constitutae sunt, nominantur: *μὴ κινοῦντες τὸ ἐπὶ Λέσβῳ ναυτικόν* 3, 16, 1. *διαφυγόντες τὸ ἐπὶ τῇ Σκιώνῃ στρατόπεδον* 4, 131, 3; ab ea urbe obsessa alias copias reduxerunt Athenienses *ἐπ' αὐτῇ φυλακὴν καταλιπόντες* 133, 4. Porro *οἱ ἐπὶ τῇ Μιλήτῳ Ἀθηναῖοι* 8, 24, 1. 26, 2; 30, 1. Naves parare in Euboeam sonat *ἐπὶ τῇ Εὐβοίᾳ ναυτικὸν παρασκευάζειν* 3, 92, 4. Denique oppidulum commemoratur, quod propter opportunitatem loci incommodo aliorum conditum est vel aliis imminet: (*Ἡράκλειαν*) *ἐνόμισαν ἐπὶ τῇ Εὐβοίᾳ μάλιστα καθίστασθαι* 3, 93, 1. *ἐπὶ τῇ γῇ ἐκτίζετο* ib. § 2. *οὐ γὰρ ἐπ' ἄλλῃ τινὶ γῇ ἢ τῇ τούτων τὸ χωρίον ἐτειχίσθη* 5, 51, 2. *ἐπὶ τῷ Δάσκωνι ἔρυμα ὤρθωσαν* 6, 66, 2. *ὥσπερ τὰ Ἄναια ἐπὶ τῇ Σάμῳ* 4, 75, 1. *ἐθεᾶτο τὴν θέσιν τῆς πόλεως ἐπὶ Θρᾴκῃ ὡς ἔχοι* 5, 7, 3. *τὸ ἐν Κυψέλοις τεῖχος κείμενον ἐπὶ τῇ Σκιρίτιδι* 33, 1. *ἐπὶ τῇ Εὐβοίᾳ τὸ χωρίον ὄν* 6, 60, 2. Sane postrema exempla ita intellegi possunt, ut *ἐπί* vertamus Latina particula „ad, contra", nostra „bei, gegenüber". cf. p. 21 et 4, 14, 5; 28. 3.

8. Infinitivi autem articulo instructi pendent ab *ἐπί* praepositione eo intellectu, quem Latini plerumque exprimunt enuntiato finali, ut ita dicam, vel Gerundii structura. 1, 34, 1; 38, 1 et 2; 70, 9, 71, 1; 74, 3; 121, 5. 3, 42, 6. Exempli gratia affero 1, 34, 1 *οὐ γὰρ ἐπὶ τῷ δοῦλοι, ἀλλ' ἐπὶ τῷ ὁμοῖοι τοῖς λειπομένοις εἶναι ἐκπέμπονται.*

9. Ut Latini ad praepositione utuntur ea significatione accedere aliquid ad alteram rem, ita etiam *ἐπί* indicat accedere, addi aliquid alicui rei, sequi eam, ita ut respondeat nostris „zu, hinzu, nach". Quattuor exempla sunt afferenda ex Th. *ὑποσχόμενος ἀδελφὴν ἑαυτοῦ δώσειν καὶ χρήματα ἐπ' αὐτῇ* 2, 101, 5, pollicitus se ei sororem suam in matrimonium daturum esse et opes ad ea, hoc est praeterea. *ἡ τύχη ἐπ' αὐτοῖς (τῇ τε ἐλπίδι καὶ τῷ ἔρωτι) οὐδὲν ἔλασσον ξυμβάλλεται ἐς τὸ ἐπαίρειν* 3, 45, 6. *καλὸν ἀγώνισμα ἐνόμιζέν οἱ εἶναι ἐπὶ τοῖς ἄλλοις καὶ τοὺς ἀντιστρατηγοὺς κομίσαι Λακεδαιμονίοις* 7, 86, 2, cum ceteris captis etiam duces. Denique *ἐνόμισαν καλὸν ἀγώνισμα σφίσιν εἶναι ἐπὶ τῇ γεγενημένῃ νίκῃ τῆς ναυμαχίας ἑλεῖν τὸ στρατόπεδον* 7, 59, 2. Certe non de tempore *ἐπί* accipiendum est. Syracusani Athenienses navali proelio vicerant et speraverunt ad hanc victoriam alterum commodum sibi fore castris hostium potiri.

Unum singulare exemplum nunc profero 4, 118, 12 *ἄρχειν δὲ τήνδε τὴν ἡμέραν, τετράδα ἐπὶ δέκα τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος μηνός. Δέκα* certe Dativi vici fungitur; quum composita numeralia plerumque per *καί* iungantur, interdum *ἐπί* structura cum Dativo exprimitur addi numero alium.

10. Fine huius paragraphi locos affero, quos apud Thucydidem singulares invenimus, quamquam apud alios Graecos scriptores saepius legimus *ἐλέγετο δὲ καὶ ἐδόκει ἐπὶ τοῖς μέλλουσι γενήσεσθαι σημῆναι* 2, 8, 3; motus terrae acceptus est futurarum rerum omen. Tum *παρανομίαν ἐπὶ τοῖς μὴ ἀνάγκῃ κακοῖς ὀνομασθῆναι καὶ οὐκ ἐπὶ τοῖς ἀπὸ τῶν ξυμφορῶν τι τολμήσασιν* 4, 98, 6, valet *ὀνομάζειν ἐπί τινί τι* nomen alicui imponere. Pericles crea-

tus ut laudatione funebri honorem tribueret Atheniensium primis bello Peloponnesiaco caesis est dictus: *ἐπὶ τοῖς πρώτοις τοῖσδε ῥηθῆ λέγειν* 2, 34, 8, quocum cf. ib. § 6; 35, 1; 42, 1. Deinde *τὸν νόμον ἐφ' ὑμῖν αὐτοῖς μᾶλλον ἢ ἐφ' ἡμῖν θήσετε* 1, 40, 6, legem non tam Peloponnesiis quam ipsis Atheniensibus fore incommodo significant haec verba. Postremum exemplum proferre liceat illud, quo Alcibiades Athenienses adhortatus est, ne accusatum quaestione nondum soluta ducem exercitus in Siciliam mitterent: *πέμπειν αὐτὸν ἐπὶ τοσούτῳ στρατεύματι* 7, 29, 2.

§. 8. Conferantur nonnulli loci, quibus eaedem voces et cum Genetivo et cum Dativo coniunctae paene eadem ratione usurpari illustrentur.

Structuris Genetivi et Dativo collatis demonstrabo saepe fere nihil interesse Genetivus an Dativus sit usurpatus. Exempla affero haecce:

1) *οἰκοῦντες τὴν πόλιν οἱ Κορίνθιοι ἐπὶ τοῦ ἰσθμοῦ ἐμπόριον εἶχον* 1, 13, 5.	*οἰκοῦσιν ἐπὶ τῷ ἰσθμῷ τῆς Παλλήνης* 1, 56, 2.
2) *φρούριον ἐπ' αὐτοῦ (τοῦ ἀκρωτηρίου) ἦν* 2, 93, 4.	*στήσαντες τροπαῖον ἐπὶ τῇ ἄκρᾳ* 8, 106, 4.
3) *ἐπὶ τῆς αὑτῶν μένειν* 4, 118, 4.	*ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ μένειν* 4, 105, 2.
4) *ἐπ' αὐτοῦ (τείχους) μεῖναι* 4, 100, 4.	*ἦσαν ἐπὶ τείχει* 7, 69, 1.
5) *πέμπουσιν ἐπὶ τῶν νεῶν ὁπλίτας* 3, 102, 4.	*ὁπλίτας ἐπὶ ναυσὶ πέμπουσι* 2, 80, 2.
6) *ἔχων τὸν στρατὸν ἐπὶ τῶν νεῶν* 4, 101, 3.	*ἐπὶ ταῖς ναυσὶ ῥᾷστοί εἰσιν ἀμύνεσθαι* 4, 10, 3.

ad 1. Vox *ἰσθμός* dublicem habet vim, nam 1, 56, 2 nomen appellativum valet *ἐπὶ τῷ ἰσθμῷ* in ipso isthmo, h. e. in eo isthmi loco, ubi terra angustissima est; 1, 13, 5 vero *ἰσθμὸς κατ' ἐξοχήν* dictus est nomen proprium et Corinthius significatur. Sane *ἰσθμός* proprie intellegitur locus angustissimus inter duo maria situs, tum etiam latiori sensu eius nomen finitimis regionibus angu-

stiarum tribuitur [1]). Inter nostros locos hoc interest: Dativo narratur in ipso Pallenes isthmo Potidaea, Genetivo potius ad isthmum sita esse videtur Corinthus, nec dubito *ἐπὶ τοῦ ἰσθμοῦ* ampliori vi dictum vertere „auf dem Isthmus", quum Corinthus in proximis isthmo sita sit.

ad 2. Hoc exemplum profero, quamquam non in utroque exstat idem verbum *ἀκρωτήριον* aut *ἄκρα*, quum et *ἄκρα* et *ἀκρωτήριον* eaedem res nominantur. Budorum castellum, quod *ἐπ' αὐτοῦ* intellegendo ex antecedentibus *ἀκρωτηρίου* commemoratur, est situm in extrema parte Budori promontorii [2]) et eo tempore tres naves ad eius latera stationem habuerunt; *ἐπὶ τῇ ἄκρᾳ* valet sine ullo discrimine idem, scimus enim Cynossema promontorium in Thraciae Chersoneso ad Hellespontum situm esse. Athenienses Thrasybulo duce postquam Mindarum vicerunt, collectis naufragiis tropaeum posuerunt in eius promontorii extrema parte. Cogitare non possumus eos tropaeum procul a mari in interiori terrae parte constituisse. Vix priori loco Genetivus de castelli ampliore spatio impleto est accipiendus neque ullam vim habet ad intellectum navium statio, neque altero loco Dativus de puncto spatii.

ad 3. *ἐπὶ τῆς αὑτῶν* 4, 118, 4 et *ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ μένειν* 4, 105, 2. Priori loco foedus initur ea conditione ut utrique in sua terra maneant, h. e. ea loca tum occupata teneant; altero licet Amphipolis incolis aequi et paris iuris participes in possessione agrorum et iurium publicorum et privatorum manere. De hac interpretatione vide Arnoldum [3]). Genetivus de terra ipsa, ergo de locali notione potius est sumendus.

ad 4. Inter *ἐπ' αὐτοῦ (τοῦ τείχους) μεῖναι* 4, 100, 4

---

1) Schaarschmidt, de *ἐπί* praep. a. Paus. Per. usu et vi p. 10.
2) Bursian, Geogr. v. Griechenl. 1, p. 365.
3) cf. Popp. adn. ad h. l.

et *ἐπὶ τείχει ἦσαν* 8, 69, 1 ne minime quidem interesse sentio.

ad 5) *ἐπὶ τῶν νεῶν πέμπουσιν ὁπλίτας* 3, 102, 4 et *ἐπὶ ναυσὶ πέμπουσι τοὺς ὁπλίτας* 2, 80, 2 quid hoc loco differat inter hunc vel illum casum, vix suspicari possumus; fortasse Dativi structura potius locus est intellegendus, Genetivi instrumentum, quum prorsus hoc intersit in sequenti exemplo, quod iam supra vidimus p. 19. Sed exempla 2, 80, 2. 3, 102, 4 in medio relinquo. Satis constat constructionem *ἐπὶ νεῶν* multo usitatiorem esse quam *ἐπὶ ναυσί*, quae apud nostrum scriptorem non exstat nisi citatis locis. — Ex his allatis exemplis cognoscimus nos saepe vix aliquid constituere posse, quid differat inter Genetivi et Dativi structuras, quoniam certe non sine causa Thucydides hanc aut illam constructionem elegerit.

C. De Accusativi structuris.

Etiam Accusativi constructiones triplices sunt localiter, temporaliter, metaphorice *ἐπί* praepositione usurpata et ea indicatur locus vel res vel homo, ad quae aliquid spectat vel accedit.

§. 9. De locali significatione.

De loco usurpatae particulae significationes variant. In universum dicitur res vel homo ad locum spectans, tendens, accedens.

1. Nostro „auf" est vertenda, si loca edita aut res narrantur, quae ascenduntur, quibus aliquid impositum est vel imponitur. Saepius etiam iuxta *ἐπί* legitur verbum cum tali praepositione compositum, cui notio inest ad summam aream spectans (*ἀνά, ἐπί*), vel loca vel res, quae petuntur, in summo sunt sita. Hac ratione usurpatum invenimus: *ἀναβαίνειν ἐπὶ τὸ τεῖχος* 2, 4, 4. *ἐφ' ἑκάτερον τῶν πύργων* 3, 22, 3. *ἐπὶ τὸ τέγος* 4, 48, 2.

χωρεῖν ἐπὶ τὸ τεῖχος 4, 68, 1. *ἀναχωρεῖν ἐπὶ τὰ μετέωρα* 4, 57, 2. *προελθεῖν ἀπὸ τοῦ σήματος ἐπὶ βῆμα ὑψηλὸν πεποιημένον* 2, 34, 8. — Imponere, collocare, similia: *ἀνατιθέναι ἐπὶ τὸ Ῥίον ναῦν* 2, 92, 5. *ἐπιτιθέναι νεκροὺς ἐπὶ πυράς* 2, 52, 4. *ἐπὶ πυράν* 6, 71, 1. *ἐπιβάλλειν αὐτοὺς ἐπὶ ἁμάξας* 4, 48, 4. *ἀνθιστάναι πύργον ἐπ' οἴκημα* 4, 115, 2. *ἀντιπαρατάσσεσθαι ἐπὶ τὰ τείχη* 7, 37, 3. *ἐπὶ τὸ δεξιὸν κέρας* 1, 48, 3. *ἱδρύεσθαι ἐπὶ τὸν λοφόν* (*λόφος ἐφ' ὅν*) 4, 24, 4. *ξυστρέπεσθαι ἐπὶ τὸν λοφόν* 5, 10, 9. *ἱζάνειν ἐπὶ τὸ κενούμενον* 2, 76, 2. Porro *ἀπάγειν τὴν στρατιὰν ἐπὶ τὴν ἄκραν* 7, 3, 3. De navibus ascendendis huc spectant formulae: *ἐπὶ τὰς ναῦς ἀναβαίνειν* 4, 44, 6. 7, 67, 2. *ἐπιβαίνειν* 1, 111, 2. 2, 25, 4. 7, 69, 4. *ἀναχωρεῖν* 2, 102, 4. 3, 91, 5. 6, 94, 2. Tum *ἐπὶ τὰς ναῦς τινα ἀναβιβάζεσθαι* 7, 33, 4. *ἐσβιβάζειν* 7, 60, 4. *ἐπιβιβάζειν* 4, 31, 1. 6, 65, 2 (*καὶ τὰ πλοῖα*). *ἀναλαμβάνειν* 7, 25, 4. *παραλαμβάνειν* 7, 26, 1. *παρακαλεῖν* 7, 20, 1.

2. Significatione latiore etiam omnino indicat punctum spatii, ad quod spectat vel accedit homo vel res. Locus vel res, ad quae tendunt, quasi meta attingenda est. Etiamsi plerumque adhibito Accusativo de attingenda meta, Genetivo autem de attacta cogitare possimus, multis tamen locis etiam Accusativo meta attacta dicitur. Respondent vero Latinae structurae ad vel in aliquem locum vel Accusativi omissa praepositione apud nomina urbium et parvarum insularum, et nos vario modo vertimus particulis „zu, nach, an, bis zu, bis nach, bis an" aliis. Hac vi Thucydides sexcenties utitur *ἐπί*. Duo autem nobis distinguenda sunt verborum genera, ex quibus pendet *ἐπί*. Si enim accuratius verba inspexerimus, a quibus pendens legitur, facile cognoscemus saepius Graecorum structuras discrepare a Germanis ita, ut in certis casibus Graeci aliquem se movere ad aliquem locum dicant, nos vero finito iam motu in eo loco esse animis nobis effingamus, quod licet exemplo allato illustrari: *πέμπει ἐς τοὺς Βοιωτοὺς κελεύων*

κατὰ τάχος στρατιᾷ ἀπαντῆσαι ἐπὶ Τριποδίσκον 4, 70, 1, er schickt an die Boeoter den Befehl, sie sollten schleunigst mit einem Heere bei Tripodiskos zum ihm stossen. Nos igitur quum dicamus „bei Tripodiskos“, cogitamus de loco, ubi confecto itinere Boeotiorum exercitus coniungitur cum Brasida, non de itinere ad Tripodiscum; Thucydides vero Accusativum *Τριποδίσκον* pendentem ab *ἐπί* praepositione adhibet eam ob ipsam rem, quod motum ad Tripodiscum exprimi vult. Verbo *ἀπαντᾶν* quasi duae insunt actiones: „sich nach einem Orte hinbewegen“ et „an demselben sich mit Jemanden verbinden“. Nos quum potius de altera actione cogitemus, dicimus „bei einem Orte mit Jem. zusammentreffen“, Graeci autem quum sibi fingant priorem actionem, construunt *ἀπαντᾶν* cum verbis *ἐπί τινα τόπον*. Cum Graecis congruunt Latini: convenire in aliquem locum.

Tractemus igitur prius eorum locorum nonnullos — omnes enim enumerare longum et supervacaneum est, — quibus Graecorum constructiones cum Germanis consentiant, quo facto disputabimus de quibusdam, quibus illorum usus loquendi abhorreat a nostro.

A. Graeci utuntur *ἐπί* structura cum Accusativo iis significationibus, quae vernaculae sunt: „nach, nach hin; an, zu; bis nach, bis an, bis zu“.

a. Vernacule „nach, nach hin“ reddimus eam particulam, si homo vel res dicitur se movere ad locum vel ad aliam rem. Verbis autem utitur Thucydides eundi, navigandi, aliis et dicuntur loca, res, homines, ad quos aliquid movetur vel spectat: 1, 133 *ἐπὶ Ταίναρον ἱκέτου οἰχομένου.* 6, 30, 1 *ἐπὶ ἄκραν Ἰαπυγίαν τὸν Ἰόνιον διαβαλοῦσιν.* 4, 72, 4 *ἀπεκρίθησαν οἱ μὲν . . ., οἱ δὲ ἐπὶ τὴν Νίσαιαν.* 2, 67, 3 *πορευομένους ἐπὶ τὸ πλοῖον.* 5, 10, 6 *κατὰ τὰς ἐπὶ τὸ σταύρωμα πυλάς* intellego cum Grotio [1])

---

1) Gesch. Griechenl. übers. v. N. N. W. Meissner. Lpzg. 1853. Bd. 3 p. 673 sqq.

portas, quae fuerunt in muris longis et tulerunt ad vallum, sive in id spatium, quod erat inter murum et vallum. 1, 5, 1 *ἤρξαντο μᾶλλον περαιοῦσθαι ναυσὶν ἐπ' ἀλλήλους* „mit einander zu Schiffe verkehren“. 3, 19, 1 *ἐπὶ τοὺς ξυμμάχους ἀργυρολόγους ναῦς ἐκπέμπειν.* Fusius disputari necesse est de loco 5, 72, 1: (*ξυνέβη οὖν αὐτῷ*) *κελεύσαντος αὐτοῦ, ἐπὶ τοὺς Σκιρίτας ὡς οὐ παρῆλθον οἱ λόχοι, πάλιν αὖ σφίσι προσμῖξαι, μὴ δυνηθῆναι ἔτι μηδὲ τούτους ξυγκλῇσαι.* Vario modo haec verba interpretantur viri docti. Quod attinet ad distinguenda verba, cum Poppone, quem sequitur Boehme, scribo commata post *αὐτοῦ, λόχοι, προσμῖξαι* et verborum consecutionem esse hanc puto: *ξυνέβη, ὡς οἱ λόχοι οὐ παρῆλθον ἐπὶ τοὺς Σκιρίτας, αὐτοῦ κελεύσαντος πάλιν προσμῖξαι σφίσι, τούτους μὴ δυνηθῆναι ἔτι μηδὲ ξυγκλῇσαι* accidit ut, postquam illi lochi non accesserunt ad Sciritas, quum iussisset eos (Sciritas) rursus se coniungere cum ipsis (cum militibus, quibus ipse praefuit Agis), ne hi quidem possent se adiungere. Nexus mea ex sententia est hic: Agis quum vidisset Athenienses sinistram alam exercitus sui circumventuros et tum a latere et a tergo aggressuros esse, iussit Sciritas, quibus antiquitus ius erat in acie sinistra extrema collocari, ad sinistrum versos cornu extendere simulque polemarchos in dextro collocatos post frontem mediae aciei contendere et aciem motu Sciritarum ad laevum vacuefactam explere. Sed polemarchi non obedientes in dextro manserant; Agis simulatque animadvertit illos lochos, quibus ii polemarchi praefuerunt, non accessisse ad Sciritas, itaque inter se et Sciritas esse vacuam aciem, tum denuo iussit Sciritas ad medium reversos aciem explere, ne per vacuum inter sinistram et mediam aciem hostes irrumperent. Impetu autem hostium iam facto accidit, ut tum ne Sciritae quidem a laevo reversi aciem explere possent, nam hostes postquam vacuum repererunt, eo irrumpentes Sciritas a media acie secretos adversos et a dextro latere aggressi fuga-

rant. — Kruegerus, qui aliter interpungit, ita ut scribat commota post Σκιρίτας et λόχοι, vertit: „und als die beiden Lochen, nachem er sie an die Stelle der Sciriten beordert hatte, nicht hinkamen, geschah es dass sie wiederum zu ihnen, denen um Agis, zu stossen nicht mehr vermochten und diese nicht zusammenschlossen“ et adnotat: „ἐπὶ τοὺς Σκιρίτας kann der Stellung nach füglich nur mit κελεύσαντος verbunden werden (Gr. 62, 3 A. 2)“. Sed mihi videtur aliter res se habere, non necesse esse ἐπὶ τοὺς Σκιρίτας coniungi cum κελεύσαντος, potius esse coniungendum cum enuntiato ὡς — λόχοι et Thucydidem ἐπὶ τοὺς Σκιρίτας ante enuntiatum ὡς — λόχοι collocasse maiore vi, quum ἐπὶ τοὺς Σκιρίτας opponi vellet sequenti σφίσι. Atque verborum collocationes similes etiam aliis locis Thucydideis leguntur [1]) et a κελεύσαντος pendere intellego προσμίξαι [2]), commate autem ante μή posito δυνηθῆναι pendere a ξυνέβη. Etiam inter omnes constat duplicem negationem μὴ μηδέ offendere non posse. Mea ex sententia Agis ter edixit: primum Sciritis, ut ad laevum irent, tum polemarchis, ut inter Sciritas et Lacedaemonios mediam aciem tenentes illorum motu vacuum spatium occuparent, quo neglecto tertium denuo Sciritis, ut ad mediam aciem redirent et cum Agidis militibus se coniungerent. Si Kruegeri explicationem „geschah es dass sie wiederum zu ihnen zu stossen nicht vermochten und diese nicht zusammenschlossen“ sequeremur, esset cogitandum Sciritas iniussu Agidis temptasse se coniungere cum media acie, quum iussos lochos in vacuum spatium accedere non vidissent. Sed Sciritae nescierunt se a polemarchis deseri, nam hi in extrema acie dextra erant collocati; quum vero hi non statim adessent, cogitandum illis erat polemarchos

1) cf. Kühner, Ausf. Gramm. § 606, 7.

2) cf. Forssmann Th., de infinitivi tempore usu Thuc. Lpzg. 1873. p. 31.

in itinere aliqua re retentos mox accessuros esse. Simul locus, quem Agis iusserat, iis tenendus erat, et certe si iniussu Agidis temptassent aciem explere, post pugnam commissam a Lacedaemoniis puniti essent. Quam ob rem censeo Sciritis ab Agide iussis aciem explere accidisse, ut impetu hostium iam facto ne ii quidem tertio Agidis dicto parere possent. Sed haec hactenus, iam ad inceptum redeo. — Saepius legimus χωρεῖν sequenti ἐπί ut 6, 58, 1 οὐκ ἐπὶ τὸ γενόμενον ἀλλ' ἐπὶ τοὺς πομπέας τοὺς ὁπλίτας εὐθὺς ἐχώρησε. 2, 39, 1 ἐπὶ τοὺς ἰσοπαλεῖς κινδύνους χωροῦμεν, aequalia pericula subimus [1]). Verbum τρέπειν activa forma non invenitur nisi 4, 72, 2 ἐπιπεσόντες τοῖς ψιλοῖς ἔτρεψαν ἐπὶ τὴν θάλασσαν, media vero forma saepius exstat 1, 20, 3. 5, 111, 3. 8, 50, 1; 56, 2. Loquendi formula ἐπ' ἀμφότερα in utramque partem est accipienda pendens ab ἀποβαίνειν 1, 83, 3. 2, 11, 9. λέγεσθαι 4, 58; 88, 1. γίγνεσθαι ταῖς γνώμαις 1, 139, 4. εἰκάζεσθαι 6, 60, 2. ἔχειν 7, 48, 3. Haud congruit cum nostra lingua Graecorum τὰ ἐπὶ θάτερα 1, 87, 2. 7, 84, 4. τὸ ἐπὶ θάτερα 7, 37, 2. 8, 33, 2 „auf der anderen Seite“. ἐπ' ἔσχατα τοῦ ἄστεος 8, 95, 4 „am Ende der Stadt“. Graeci enim res huc vel illuc spectantes sibi fingunt. Etiam a substantivis pendet ἐπί, ut supra dictum 5, 10, 6 κατὰ τὰς ἐπὶ τὸ σταύρωμα πυλάς. 6, 86, 5 ἐφ' ὑμᾶς ἑτοίμην εἶναι ὁδόν. 4, 108, 1 πάροδος ἐπὶ τοὺς ξυμμάχους σφῶν τοῖς Λακεδαιμονίοις. 6, 102, 4 κωλῦσαι τὸν ἐπὶ τὴν θάλασσαν τειχισμόν. 2, 39, 3 διὰ τὴν ἐν τῇ γῇ ἐπὶ πολλὰ ἡμῶν αὐτῶν ἐπίπεμψιν. — Βοηθεῖν 3, 97, 3; 114, 3. 4, 8, 1 et 2. 72, 1; 85, 7. 5, 65, 4. 6, 65, 3. 7, 11, 2. παραβοηθεῖν 7, 37, 3. 53, 1; 71, 6. 8, 94, 3. ξυμβοηθεῖν 4, 76, 4, de his verbis regula est: si ἐπί praepositio cum nominibus locorum vel rerum coniuncta pendet ab iis verbis βοηθεῖν, semper significant loco vel rei auxilium ferre, auxilio venire,

1) cf. Popp. adn. h. l.

etiamsi commemorata loca ab hostibus sint occupata, adversus quos proficiscuntur, Graeci tamen *ἐπὶ χωρία βοηθεῖν* dicunt „den Orten zu Hülfe kommen", ita 4, 8, 1 *οἱ Σπαρτιᾶται ἐβοήθουν ἐπὶ τὴν Πύλον*, quod promontorium non habitatum Athenienses Demosthene duce munitum occupaverant. De *βοηθεῖν* structura cum personarum nominibus vide infra p. 46 sq.

b. Ad alteram versionem venimus, *ἐπί* enim etiam nostris „an, zu" respondet. 5, 50, 1 *ἀναβάντας δὲ ἐπὶ τὸν βωμὸν τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου* non potest cogitari in summam aream Iovis arae ascendisse homines, sed ad eius aram et composito *ἀναβάντας* indicatur ara in summo sita esse. Similiter 8, 84, 3 *καταφεύγει ἐπὶ βωμόν* „nimmt seine Zuflucht zu einem Altare". Porro 1, 37, 1 *ἐπὶ τὸν ἄλλον λόγον ἰέναι* „zu dem zweiten Punkte (über-) gehen", similiter 2, 36, 4 *εἶμι καὶ ἐπὶ τὸν τῶνδε ἔπαινον*. 1, 89, 1 *ἦλθον ἐπὶ τὰ πράγματα* „kamen in die Verhältnisse", cf. 2, 36, 4 *ἐπ' αὐτά*. De personis etiam usurpatur tale *ἐπί* 1, 37, 3 *ἐπὶ τοὺς πέλας ἐκπλέοντας*. 4, 104, 4 *πέμπουσιν ἐπὶ τὸν ἕτερον στρατηγὸν κελεύοντες σφίσι βοηθεῖν.*

c. Tertia significatione „bis nach, bis zu, bis an" praepositio non modo locum, qui petitur, sed etiam modum indicat et gradum, ad quem aliquis pervenit. 3, 3, 5 *πεζῇ ἐπὶ Γεραιστὸν ἐλθών*. 2, 97, 2 *ἀπὸ Βυζαντίου ἐπὶ τὸν Στρυμόνα ἡμερῶν ἀνδρὶ εὐζώνῳ τριῶν καὶ δέκα ἀνύσαι*. 4, 66, 4 *ἦν δὲ σταδίων μάλιστα ὀκτὼ ἀπὸ τῆς πόλεως ἐπὶ τὴν Νίσαιαν*. 4, 67, 3 *ἀκάτιον εἰώθεσαν ἐπὶ ἁμάξῃ κατακομίζειν ἐπὶ τὴν θάλασσαν.* — Modus autem vel gradus significatur in his: 1, 118, 2 *ἐπὶ μέγα ἐχώρησαν δυνάμεως*, cf. 1, 17. — 2, 97, 5 *ἐπὶ μέγα ἦλθεν ἡ βασιλεία ἰσχύος*. Plerumque neutra adiectivorum sunt, a quibus pendet Genetivus substantivorum, sic coniungitur cum *ἐπί* 4, 92, 4 *πῶς οὐ χρὴ καὶ ἐπὶ τὸ ἔσχατον ἀγῶνος ἐλθεῖν*. 2, 53, 3 *ἄδηλον νομίζον εἰ πρὶν ἐπ' αὐτὸ (τὸ δόξαν καλόν) ἐλθεῖν διαφθαρήσεται*. De loco igitur ac modum *ἐπί* translatum indicat punctum modi et gradus, ad quod aliquis per-

venit vel tendit, sed infra sub huius paragraphi nota 3. videbimus etiam alia ratione *ἐπί* usurpatum ad gradum significandum posse explanari.

B. Iam transeamus ad tractandos eos locos, quibus *ἐπί* reddimus vernacule „an, bei, in der Nähe" ea structurae differentia, ut quod Graeci dicunt *ἐπί τινα τόπον* „nach einem Orte hin" de motu cogitantes, qui ad dictum locum fit, nos aliter intellegamus „bei dem Orte" aliquem iam pervenisse ad locum haud indicantes motum ipsum eo factum. Ex nostro scriptore ad triginta exempla eiusmodi enumerare possum. *Καθίζειν* activam formam legimus 1, 126, 10 *ἐπὶ τὸν βωμόν* „an der Seite des Altares", puto vero non in ipsa summa area Minervae arae consedisse supplices, de quibus eo loco agitur, sed confugisse ad aram ibique ad latera consedisse, fortasse etiam in ara nonnullos, si locus et supplicum numerus id permisit. cf. 3, 28, 2 *ἐπὶ τοὺς βωμούς*. Eius verbi media forma usurpatur 1, 136, 3 *καθίζεσθαι ἐπὶ τὴν ἑστίαν*, quod Cornelius Nepos Them. 8, 4: „se in sacrarium, quod summa colebatur caerimonia, coniecit" narrat. Themistocles vix in ipso foco consedisse cogitandus est, potius se contulisse in eam domus partem, quae omnibus sacra esset, unde avelli nefas esset [1]). Fertur Pausanias 1, 132, 2 *ἐπὶ τὸν τρίποδα ἐπιγράψασθαι τὸ ἐλεγεῖον*, non in summa area verba elogii inscripsit, sed lateri aurei vasis [2]). 4, 100, 2 *ἐπ' ἄκραν (sc. τὴν κεραίαν) λέβητα ἤρτησαν ἁλύσεσι* „an dem äussersten Ende der Stange hingen sie vermittelst Ketten einen Kessel auf", etiam Latini nobiscum construunt suspendere aliquid in aliquo loco. Porro huc est referendum 8, 90, 4 *ἐπ' αὐτὸν γὰρ τὸν ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ λιμένος στενοῦ ὄντος τὸν ἕτερον πύργον ἐτελεύτα τό τε παλαιὸν τὸ πρὸς ἤπειρον καὶ τὸ ἐντὸς τὸ καινὸν τεῖχος τειχιζόμενον πρὸς θάλασσαν,* muri igitur

---

1) cf. Popp. adn. ad h. l.
2) v. Classen ad h. l.

turri illa altera continebantur [1]. 5, 37, 1 *ταῦτα ἐπεσταλμένοι ὥστε ἐπαγγεῖλαι ἐπὶ τὰ κοινά* „vor ihren Staatsbehörden Bericht abstatten". 2, 34, 4 *γυναῖκες πάρεισιν ἐπὶ τὸν τάφον* „finden sich am Grabe ein". Tum *ἀφικνεῖσθαι ἐπί τινα τόπον*, Latini etiam pervenire ad locum, nos vero dicimus „bei einem Orte anlangen", cf. 2, 80, 8. 3, 112, 1. 4, 8, 2; 56, 2; 90, 1; 103, 1. 7, 35, 2; 82, 3. 8, 55, 1. Simile est 8, 36, 1 *ἥκοντος ἐς τὴν Μίλητον ἐπὶ τὸ ναυτικόν*. 7, 56, 4 *ἔθνη γὰρ πλεῖστα δὴ ἐπὶ μίαν πόλιν ξυνῆλθε*. De *ἀπαντᾶν* constructione iam supra vidimus, eiusmodi etiam est 4, 108, 5 *αὐτῷ ἐπὶ Νίσαιαν τῇ ἑαυτοῦ μόνῃ στρατιᾷ οὐκ ἠθέλησαν ξυμβαλεῖν*. 4, 25, 3 *ἐπὶ δὲ τὴν Πελωρίδα τῆς Μεσσήνης ξυλλεγεῖσαι ὥρμουν*. 4, 9, 2 *ἐπὶ τὰ τετειχισμένα μάλιστα καὶ ἐχυρὰ τοῦ χωρίου ἔταξε (τοὺς ὁπλους)*, cui conferendum est 5, 10, 1 *τοὺς ἄλλους καθίστη ἐπὶ τὰς Θρᾳκίας καλουμένας τῶν πυλῶν* et 3, 107, 1 *καθίζουσιν ἐπὶ τὴν Μητρόπολιν καλουμένην*. Porro 3, 79, 3 *ἐπὶ δὲ τὴν Λευκίμμην ἀποβάντες*. Postremo etiam 4, 102, 4 *ἐπ' ἀμφότερα περιρρέοντος τοῦ Στρυμόνος*, quocum conferenda *ἐπὶ θάτερα, ἐπ' ἔσχατα* supra p. 37.

2. Nunc vero me ad alteram significationem localem explanandam converto, respondet enim interdum *ἐπί* nostris „auf-hin, über-hin" ita, ut locus vel res dicantur, per quae aliquid patet, sive id motu, sive sine eo fit. Etiam in hac significatione tenendum est principio *ἐπί* significare per superficiem alterius rei aliquid patere. Substantiva loci cum tali *ἐπί* coniuncta invenimus perpauca, alia afferre non possum nisi haec tria: *μέρος τῆς γῆς, στάδιον, πῆχυς* his locis 1, 23, 3 *ἐπὶ πλεῖστον μέρος τῆς γῆς ἐπέσχον*. 3, 24, 2 *ἐπὶ μὲν ἓξ ἢ ἑπτὰ σταδίους ἐχώρησαν*. 7, 78, 4 *ἐπὶ πολλὰ στάδια οὐκ ἄφθονον ἦν*, quo uno loco Thucydides neutrius formam pluralem *στάδια* usurpat, quum omnibus ceteris locis Thucydideis legamus masculini pluralem *στάδιοι*. Intellegimus certe

1) cf. Popp. adn. ad h. l. et Goeller.

primariam *στάδιον* notionem localem, quae vox paulatim etiam ad tempus translata est eodem modo ac nos dicimus „eine Strecke von so und soviel Kilometern" cogitantes non tam de spatio, per quod nobis incedendum est ad locum destinatum, quam de tempore, quo iter eo conficitur; similiter se habet notio vocabuli *πῆχυς*, quod legimus 7, 36, 2 *ἀντηρίδας ἀπ' αὐτῶν ὑπέτειναν πρὸς τοὺς τοίχους ὡς ἐπὶ ἑπτὰ πήχεις ἐντός τε καὶ ἔξω*. De hominibus, per vel apud quos rumor excitatur, unus locus est afferendus 2, 101, 4 *παρέσχε λόγον καὶ ἐπὶ τοὺς τῶν Ἀθηναίων πολεμίους*. Saepius autem invenitur adiectivi neutrum *ἐπί* particulae additum et paene semper ita usurpatum, ut ellipsi, quae vocatur, nota substantivum ex nexu suppleri possit 7, 71, 3 *ἐπὶ τὸ ἡσσώμενον* (sc. *κέρας*) *βλέψαντες*. 1, 4 *τὸ λῃστικὸν καθῄρει ἐκ τῆς θαλάσσης ἐφ' ὅσον ἠδύνατο*, idem *ἐφ' ὅσον* 2, 62, 2; sequenti Genetivo legimus 7, 49, 2 *ἐπὶ πολλὰ τῆς χώρας ἐπιόντες θρέψονται πορθοῦντες τὰ τῶν πολεμίων*, quae verba verti possunt: in multa loca animo infesto se vertent vastantes agros hostium. *Ἐπί* sequenti neutro adiectivi certe ita intellegebatur, ut substantivum *μέρος, χωρίον*, tale quid supplendum esset, sed paulatim de verbis supplendis minime cogitabant Graeci et eas *ἐπί* structuras accipiebant pro adverbiis. Etiam apud nostrum scriptorem, quamquam plerumque localem vel temporalem significationem (vide sequentem §.) demonstrare possumus, constructiones eius modi pro adverbiis dictae leguntur. Perspicimus localem notionem in his: 1, 70, 5 *κρατοῦντές τε τῶν ἐχθρῶν ἐπὶ πλεῖστον ἐξέρχονται καὶ νικώμενοι ἐπ' ἐλάχιστον ἀναπίπτουσιν* „siegen sie über die Feinde, so verfolgen sie ihren Vortheil so weit als möglich, werden sie aber geschlagen, so weichen sie so wenig wie möglich zurück". 4, 41, 3 *φοβούμενοι μὴ καὶ ἐπὶ μακρότερον σφίσι τι νεωτερισθῇ τῶν κατὰ τὴν χώραν*. Simili sensu *ἐπὶ πολύ* „über eine weite Strecke hin, weit und breit" quater decies exstat: 1, 18, 1; 50, 2; 62, 6. 2, 75, 2; 79, 6.

3, 83, 1. 4, 3, 2; 108, 1. 5, 73, 4. 6, 37, 2; 70, 3. 7, 11, 4; 65, 2. 8, 10, 2. Deinde *ὡς ἐπὶ πολύ* 1, 12, 2. *ἐπὶ τὸ πολύ* 4, 29, 3. *ἐπὶ πλέον* quater 2, 53, 1; 62, 2. 5, 14, 2; 57, 1. *ἐπὶ πλεῖον τῆς ἄλλης Θρᾴκης* 2, 29, 2. *ἐπὶ πλεῖστον* quinquies 1, 1, 2; 3, 2; 4; 70, 5; 138, 3. *ὡς ἐπὶ πλεῖστον* quater 2, 34, 8 (*τοῦ ὁμίλου*). 4, 14, 3. 7, 69, 3; 76. *ἐπὶ μέγα* ter 1, 16. 2, 76, 4. 4, 100, 2. Minus perspicua est localis significatio sequentibus locis, potius prorsus pro adverbiis usitatae esse videntur loquendi formulae: *ἐπὶ πολύ* 4, 12, 3 *ἐπὶ πολὺ γὰρ ἐποίει τῆς δόξης*. 7, 40, 5 *ἀντερρήγνυσαν τὰς τῶν Ἀθηναίων ναῦς ἐπὶ πολὺ τῆς παρεξειρεσίας*. 8. 56, 4 *ἐπὶ πολὺ ὅτι αἰτοίη ξυγχωρούντων*. — *ἐπὶ πλέον* decies 1, 9, 3; 71, 3. 2, 51, 6; 65, 6; 97, 4. 3, 45, 6. 4, 98, 4. 6, 54, 1. 7, 48, 2. 8, 2, 1. *ἐπὶ πλεῖον* 8, 81, 2. *ἐπὶ τὸ πλεῖον* 6, 34, 7. In his et similibus *ἐπί* non tam aliquid patere per aliquam rem indicat quam modum, ad quem aliquid porrigitur cf. supra p. 38 sq. Sic 1, 21, 1 *ξυνέθεσαν ἐπὶ τὸ προσαγωγότερον τῇ ἀκροάσει ἢ ἀληθέστερον*, et ibidem *ἐπὶ τὸ μυθῶδες ἐκνενικηκότα*. 1, 118, 2 *οὔτε ἐκώλυον εἰ μὴ ἐπὶ βραχύ*. 2, 35, 3 *χρὴ καὶ ἐμὲ τῆς ἑκάστου βουλήσεώς τε καὶ δόξης τυχεῖν ὡς ἐπὶ πλεῖστον*. 6, 66, 1 *εἴ τις μὴ ἐπὶ ὅσον δεῖ ἥσθηται σημανοῦμεν*. — 1, 88 *φοβούμενοι τοὺς Ἀθηναίους μὴ ἐπὶ μεῖζον δυνηθῶσιν*. 4, 117, 2 *ἐπὶ μεῖζον χωρήσαντος αὐτοῦ*. — 1, 10, 3 *ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμῆσαι*, cui cf. 1, 21, 3. 8, 24, 4; 74, 3. — 6, 83, 3 *ἐπὶ τὸ φοβερώτερον ὑπονοεῖτε*, „ihr steigert argwöhnisch zu grössern Schreckbildern“. Locus, quem postremo cito, legitur 3, 46, 6 *ὅτι ἐπ' ἐλάχιστον τὴν αἰτίαν ἐπιφέρειν*, ubi *ὅτι ἐπ' ἐλάχιστον* valet „auf möglichst wenige“, ad homines igitur neutrum est referendum.

§. 10. De temporali usu.

Pertractatis quae mihi de locali vi non omittenda videntur, nunc inquiram, quo modo Thucydides Accusativi constructione sit usus de tempore. Multo rarius ad

tempus significandum legimus praepositionem nostram sequenti eo casu atque certe de loco ad tempus translata esse videtur. Unus locus reperitur, quo *ἐπί* est usurpatum ut *ὑπό* cum Accusativo temporis, ne dicam pro *ὑπό*. Legimus enim 2, 84, 2 *τὸ πνεῦμα εἰώθει γίγνεσθαι ἐπὶ τὴν ἕω*, quae verba nobis vertenda sunt „der Wind pflegte sich gegen Morgen zu erheben“. Editores, quot inspexi, quamquam viderunt rarissimum esse hunc usum *ἐπί* praepositionis, nam non invenitur nisi Arrian. Anab. 3, 18, 7 *ἔλαθεν ἐπὶ τὴν ἕω ἐπιπεσών*, pro quo recentiores editiones *ὑπὸ τὴν ἕω* praebent, merito tamen mea ex sententia *ἐπί* lectionem optimis codicibus traditam in textum receperunt. Etiamsi nullus alius locus eo *ἐπί* intellectu ex aliis scriptoribus afferri potest, tenendum esse *ἐπί* nostro loco puto et Classenius[1]) iure similia citat *εἰς* et *πρὸς ἕω, εἰς τὴν ἑσπέραν, πρὸς ἑσπέραν* e Xenophontis vel Platonis scriptis. Quum etiam mirum usum temporalem *ἐπί* cum Dativo coniuncti *ἐπ' ἔτει* viderimus, censeo non esse pro *ἐπί* scribendum *ὑπό* aut *περί*, ut nonnulli volunt, potius *ἐπί* esse tenendum, singularis sane est hic usus Thucydideus. Omnes ceteri loci, quibus de tempore est usurpata nostra particula, eiusmodi sunt, ut vertere possimus nostris „während, über-hin, auf“ et significant per temporis spatium patere aliquid. Novem tantum locos invenimus, ubi substantivum temporis copulavit Thucydides cum *ἐπί* particula, et quidem legimus *ἐπὶ πολὺν χρόνον* 1, 17. 4, 1, 8. 6, 32, 2. *ἐπὶ πλεῖστον χρόνον* 1, 18, 1. *ἐδῄουν τὴν γῆν ἐπὶ δύο ἡμέρας* 2, 25, 3. cf. 2, 86, 5. *ἐπὶ ὀκτὼ μῆνας* 7, 87, 2. *ἐπὶ δέκα ἔτη* 3, 68, 3. cf. 5, 25, 3. Si locos allatos accuratius inspicimus, facile videmus iis tale *ἐπί* proprie transire de locali ad temporalem usum, nam tum demum *ἐπί* temporalis praepositio est, si talibus cum substantivis, quibus temporalis vis non inest ut *ἐπὶ Καμβύσου*, ad temporis spatium

---

1) Krit. Bem. ad h. l.

significandum coniungitur, sin *ἐπί* sequitur temporale substantivum, tenendum nobis est tempus ipsum pro loco esse accipiendum.

Ut de loco, ita de tempore usurpantur neutra adiectivorum cum *ἐπί* coniuncta pro adverbiis temporis: 1, 1, 2 *ἐπὶ μακρότερον σκοποῦντί μοι πιστεῦσαι ξυμβαίνει.* — *Ἐπὶ πολύ* „lange“ de tempore dictum enumeramus septies decies 1, 6, 3; 7. 2, 16, 1; 64, 5; 76, 2. 3, 11, 6; 97, 3; 98, 1. 4, 72, 3. 5, 16, 2. 6, 70, 1. 7, 22, 2; 38, 1; 39, 2; 71, 5; 79, 6. 8, 1, 1. *ὡς ἐπὶ τὸ πολύ* 2, 13, 3. 5, 107. 6, 46, 4 ea significatione „gewöhnlich, in der Regel“. *ἐπὶ πλέον* non est de tempore usurpatum nisi 1, 65, 1 *ὅπως ἐπὶ πλέον ὁ σῖτος ἀντίσχοι.* *ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖον* 3, 37, 3 eodem fere sensu atque *ὡς ἐπὶ τὸ πολύ* „in der Regel“, neque multo aliter *ὡς ἐπὶ πλεῖστον* 1, 82, 4. 4, 62, 4. 5, 46, 1. *ἐπὶ πλεῖστον* 1, 2, 5; 71, 1. 6, 54, 5. *ἐπ' ἐλάχιστον* 2, 45, 2. *ἐπὶ πᾶν* 2, 51, 1. 3, 82, 4. 5, 68, 3 „omnino, im Ganzen“.

§. 11. De metaphorico usu.

Iam consideremus metaphoricum usum. Variant eius significationes, quas dividere possumus in haec genera:

1. Reperiuntur haud pauca exempla, in quibus *ἐπί* significatur consilium, quo aliquid fit. Ad quinquaginta loci eius modi exstant apud Thucydidem. Plerumque *ἐπί* de consilio adhibita pendet a verbo, cui notio inest eundi, mittendi, parandi, excitandi vel alia similis significatio, ubi praepositionem reddimus nostris „auf, nach“ et Latini Gerundii structura vel Supini utuntur; discernere autem possumus:

A. Consilium capit aliquis ad rem efficiendam, exempla huc spectantia iterum distinguere coacti sumus:
  a. *ὡς* particula est anteposita praepositioni,
  b. haud addita *ὡς* consilium *ἐπί* indicat.
B. Ad aliquem expetendum aliquis mittitur, it.

A. Iam accedimus ad priorem usum explanandum.

a. Exempla huc referenda minus frequentia sunt, octo possum enumerare, ex quibus quinquies eadem loquendi formula est usitata *ὡς ἐπὶ ναυμαχίαν* et pendet quidem ex verbis *ἀνάγεσθαι* 1, 48, 1. *πλεῖν* 2, 83, 3. *ἐξαρτύεσθαι* 2, 85, 3. *παρασκευάζεσθαι* 2, 86, 1. 4, 13, 3. Supra p. 22 iam vidimus etiam dici *ὡς ἐπὶ ναυμαχίᾳ.* Ceteri loci leguntur 4, 30, 3 *ὡς ἐπὶ ἀξιοχρεὼν σπουδὴν ποιεῖσθαι.* 5, 17, 2 (*παρασκευή*) *περιαγγελλομένη ὡς ἐπὶ τειχισμόν.* 6, 31, 5 *παρασκευάσασθαι ἐφόδιον ὡς ἐπὶ χρόνιον στρατείαν.* Animadvertimus igitur plerumque *παρασκευάζεσθαι* solere sequi *ὡς* particulam, de cuius usu v. Wisén [1]).

b. Haud multo diversa est vis et usus praepositionis, ubi deficiente *ὡς* de consilio ad aliquid efficiendum *ἐπί* adhibetur. Verba, quae leguntur in his structuris, sunt eundi *ἰέναι, ἔρχεσθαι, ἐξέρχεσθαι, ἥκειν, ξυνήκειν, ἀφικνεῖσθαι, παρεῖναι, ὁρμᾶν*; sequendi *ἀκολουθεῖν*; vergendi *τρέπεσθαι*; navigandi *πλεῖν, ξυνεκπλεῖν*; mittendi *πέμπειν, ἐκπέμπειν, ἀποστέλλειν*; porro verba, quibus notio movendi non inest, sed quae simpliciter consilium indicant *ἄγειν, ἐξάγειν, ἔχειν, προκαλεῖσθαι, ἀντιπαρακαλεῖν, ξυλλέγειν, ψεύδεσθαι.* Exempla profero haecce: 8, 92, 11 *ἰέναι ἐπὶ τὸ ἔργον* ire ad rem efficiendam. 2, 87, 2 *ἐπὶ στρατείαν ἔπλεον* ad expeditionem faciendam navigabant. 8, 64, 2 *Διοτρέφη ἀπέστελλον ἐπὶ τὴν ἀρχήν*, ad imperium suscipiendum. 2, 10, 1 *τὰ ἐπιτήδεια οἷα εἰκὸς ἐπὶ ἔξοδον ἔκδημον ἔχειν*, necessaria qualia par est ad expeditionem in hostium agros faciendam habere. 5, 43, 3 *ὡς τάχιστα ἐπὶ τὴν ξυμμαχίαν προκαλουμένους ἥκειν*, quam celerrime ad foedus feriendum invitaturos adesse. Saepius inveniuntur neutra pronominum in talibus structuris, ut *ἐπὶ τοῦτο* 4, 3, 2. 5, 87 hoc consilio, *ἐπὶ τὸ αὐτὸ* 6, 104, 1 eodem consilio *ἐπ' αὐτὸ τοῦτο* 7, 34, 5; 36, 1. 8, 69, 3 eo ipso consilio, *ἐφ' ἃ* 3, 111, 1 quo consilio, *ἐφ' ὅπερ* 1, 59, 2. 6, 47, *ἐφ' ἅπερ* 1, 87, 2 quo quidem consilio.

---

1) De vi et usu particulae *ὡς* apud Th. Hauniae 1862.

B. Singulariter verba mittendi et eundi construuntur nostra praepositione, ut significent ad aliquid expetendum accedere aliquem. Optime conferre possumus Graecorum structuras nostris: nach Hülfe schicken, auf Geld ausgehen. Duodecim eiusmodi exempla invenimus; verba autem, ex quibus ἐπί pendet, sunt mittendi πέμπειν 3, 105, 3. 4, 8, 2. 6, 61, 4. 7, 12, 1. 8, 11, 1. παραπέμπειν 4, 13, 2. ἀποστέλλειν 6, 74, 2; 93, 4 et movendi ἐξελθεῖν 3, 111, 1. 7, 4, 6 (dictum de olerum et sarmentorum collectione). πορεύεσθαι 4, 97, 2. ἥκειν 6, 53, 1. Exempli gratia licet afferre locos: 6, 74, 2 τριήρη ἀπέστειλαν ἐς τὰς Ἀθήνας ἐπί τε χρήματα καὶ ἱππέας. 4, 97, 2 πορευομένους ἐπὶ τοὺς νεκρούς.

2. Plus quam sexcenties ἐπί coniunctum legimus cum talibus verbis, quibus infesto animo aliquis petere alterum indicatur, et quidem homines et res et loca nominantur. Imprimis verba bellandi terra marique cum ἐπί coniunguntur, sed plerumque verba non sunt adhibita, quibus ipsis infesta notio inest, potius verba media, ut ita dicam, quae et de infesto et de amico animo dicuntur, ut ex nexu verborum infestus animus cognoscatur. Verba bellandi legimus στρατεύειν, ἐκστρατεύεσθαι, ξυστρατεύειν, πολεμεῖν, porro verba composita, quibus iam praepositione verbi compositi infestus animus indicatur, multo maior autem est numerus verborum et simplicium et compositorum, quibus ab initio infestus animus non dicitur, neque intellegendus est nisi ex nexu, ut ἰέναι, προϊέναι; πλεῖν, ἐκπλεῖν; πέμπειν, alia. Exempla tantum ea eligo, quibus aliquid memoratu dignum inesse mihi videtur. Primum attingatur βοηθεῖν verbum et βοήθεια. Quum enim simplex βοηθεῖν eiusque composita, si coniunguntur cum ἐπί sequente nomine loci vel rei, indicent loco dicto vel rei auxilium ferre (vide supra p. 37 sq.), instructum nomine personarum valet auxilium ferre in sive contra eum, de quo agitur. Simplex βοηθεῖν eo

intellectu legitur 1, 107, 5; 126, 7. 3, 110, 2. 4, 25, 9; 108, 5. 7, 33, 2, composita usurpata non sunt, βοήθεια autem sequente nomine insulae valet expeditio adversus eam 8, 15, 2: ὀλίγον ἐπράσσετο οὐδὲν ἐς τὴν βοήθειαν τὴν ἐπὶ τὴν Χίον. Chios insula ab Atheniensibus defecerat, quam ad recuperandam parabant Athenienses expeditionem adversus eam.

Tum procedamus ad alterum locum, de quo viri docti iam varia disputaverunt, exstat 2, 90, 1: οἱ δὲ Πελοποννήσιοι, ἐπειδὴ αὐτοῖς οἱ Ἀθηναῖοι οὐκ ἐπέπλεον ἐς τὸν κόλπον καὶ τὰ στενά, βουλόμενοι ἄκοντας ἔσω προαγαγεῖν αὐτοὺς ἀναγόμενοι ἅμα ἕῳ ἔπλεον ἐπὶ τεσσάρων ταξάμενοι τὰς ναῦς, ἐπὶ τὴν ἑαυτῶν γῆν ἔσω ἐπὶ τοῦ κόλπου, δεξιῷ κέρᾳ ἡγουμένῳ, ὥσπερ καὶ ὥρμουν. Omnes interpretatores, quot inspexi, praeter unum Grotium, qui excursu ad hunc locum fusius disputat [1]), difficultatem loci vident in ἐπί praepositionis usu et usum reflexivi pronominis neglexerunt. Prorsus falsa est scholiastae interpretatio: ἐπὶ τὴν ἀντὶ τοῦ παρὰ τήν numquam ἐπί pro παρά usurpatur, neque ulli sententiae interpretum, nisi Grotii assentiri possum, quorum adnotationes ad hunc locum, quaeso, inspicias. Grotius autem demonstravit usum reflexivi diligentius esse observandum ad interpretationem. Nam plerumque reflexivum spectat ad subiectum, interdum vero etiam ad obiectum, et hoc loco obiectum αὐτούς, h. e. τοὺς Ἀθηναίους spectatur. Ex Grotii exemplis optime mihi placet et prorsus ad nostrum locum quadrare videtur Xen. An. 4, 5, 35 αὐτὸν τότε (sc. τὸν κωμάρχην) ᾤχετο ἄγων ὁ Ξενοφῶν πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ οἰκέτας, ubi ἑαυτοῦ ad αὐτόν spectat. Sic etiam nostro loco βουλόμενοι προαγαγεῖν αὐτούς ἔπλεον ἐπὶ τὴν ἑαυτῶν γῆν spectat ἑαυτῶν ad αὐτούς et Atheniensium fines intellegendi sunt, contra quos navigabant Peloponnesii.

1) Gesch. Griechenl. 3, p. 480 sqq.

3. Tertius usus ἐπί, quem iam diu viri docti observarunt est hic: duobus locis Thucydideis ἐπί significat „quod attinet ad, in Betreff, in Hinsicht“. 4, 28, 1 ἐκέλευον ἥντινα βούλεται δύναμιν λαβόντα τὸ ἐπὶ σφᾶς εἶναι ἐπιχειρεῖν. Omnes editores sequentes codicum auctoritatem in textum receperunt τὸ ἐπὶ σφᾶς et interpretantur: quod attinet ad eos. Aliter autem res se habet sequentis loci 1, 141, 6 οὐχ ὁμόφυλοι τὸ ἐφ' ἑαυτὸν ἕκαστος σπεύδῃ. Sic legunt Bekker, Krueger, Classen, Boehme; τὸ ἐφ' ἑαυτῶν receperunt e tribus codicibus, qui ex iudicio Popponis mediocres vel depravati sunt, Poppo et Goeller et ut ille adnotat ad h. l. etiam Haackius scribit ἐφ' ἑαυτῶν et iam Abreschio in Diluc. p. 151 placebat. Sane miro modo dictum est τὸ ἐφ' ἑαυτόν, apud scriptores Graecos nullum exemplum est, quod prorsus cum nostro cousentiat. Optime se haberet ἐφ' ἑαυτῶν, cui similem locum legimus 1, 17 τὸ ἐφ' ἑαυτῶν μόνον προορώμενοι, sed non video, cur auctoritate optimorum codicum neglecta ἐφ' ἑαυτῶν scribamus, quamobrem censeo, quamquam hunc Accusativum imitari non possumus, eam lectionem ἐφ' ἑαυτόν esse tenendam. Sane in suo genere singulare et exemplum.

Etiam de loco, qui legitur 8, 48, 6 τὸ μὲν ἐφ' ἐκείνους εἶναι, sententiae virorum doctorum variant; agitur enim, quid scribendum sit ἐκείνους an ἐκείνοις. Non intellego, quid causa sit, cur editores Poppo, Bekker, Goeller, Krueger, Boehme in textum receperint Dativum ἐκείνοις, quamquam praeclari et praestantes codices Poppone auctore Casselanus, Augustanus, Clarendonianus, Venetus, Palatinus, Italus omnes praebent Accusativum ἐκείνους. Omnes sequentes peiorum librorum auctoritatem causis non additis praeferunt lectionem Dativi, neque apud ullum editorem invenimus adnotationem Accusativum prorsus falsum esse. Nec diiudicare possum rem, tamen censeo rem in medio relinquens melius esse Accusativum,

quamquam Dativus frequentior est, ex optimorum codicum auctoritate teneri.

4. Postremo unum exemplum afferendum est 4, 93, 4 ἐπ' ἀσπίδας δὲ πέντε καὶ εἴκοσι Θηβαῖοι ἐτάξαντο „25 Schilde hoch“. Kuehnerus [1]) docet in his verbis Accusativum esse rariorem Genetivo, de quo vide supra.

1) Ausf. Gramm. § 438, III p. 437.

Vita.

Carolus Conradus Georgius Kuemmell, fidei addictus evangelicae, a. d. IV. Kal. Febr. anni MDCCCXLIX natus sum in pago, cui nomen est Kleinschmalkalden, sito in Hassia, nunc in provinciae formam Borussicae redacta, ubi pater meus Carolus Alexander Kuemmell muneribus rerum sacrarum fungebatur. Illius anni vere pater ecclesiae in Hassiae pago Herrenbreitungen praefectus eo migravit. Ibi quum mater mea carissima Sophia de gente Wittich anno huius saeculi LI morte mihi erepta esset, quam praemature mortuam memoria mea excessisse vehementer doleo, aliam pater duxit uxorem in matrimonium Iohannam et ipsam de gente Wittich, quae semper ut optima mater saluti meae prospexit et nunc consulit et quae ut per longum temporis spatium salva in vita remaneat, deum etiam atque etiam imploro. Prima literarum elementa domi me docuit pater, paulo ante eius obitum, mortifero enim morbo erat affectus, traditus sum vere h. s. LXI progymnasio Schmalkaldensi. Sed quum post paucos dies morbo oppressus esset pater meus optimus et carissimus, cuius nomen semper pio atque grato animo prosequar, auctumno eius anni cum matre et consanguineis transmigravi Cassellas ibique gymnasium adii. Septembri mense h. s. LXVII maturitatis testimonio, quod dicunt, impetrato pridie Kal. Oct. me contuli Marburgum, ut philologiae studerem. Per primum studii annum simul stipendia feci in venatorum cohorte, sexto vero semestri anno h. s. LXX bello a Francogallis nobis inlato iterum miles ad patriae signa arcessitus laeto animo profectus sum in Francogalliam, unde, postquam compluribus pugnis interfui, aeger domum reverti. Tum e morbo recreatus Francofurti et Göttingae usque ad Kal. Iul. anni LXXI militavi. Quum miles dimissus per quattuor menses domi moratus essem — interim Cassellis Isenacum demigravimus — auctumno eius anni in academiam Lipsiensem ad literas redii. Marburgi interfui scholis virorum clarissimorum Caesaris, Dietzelii, Heppii, F. Justii, Nissenii, Paulii, L. Schmidtii, Weissenbornii, Lipsiae autem scholas adii doctissimorum et praeclarorum virorum Ahrensii, G. Curtii, O. Delitzschii, Ecksteinii, Fritzschii, Hildebrandii, Langii, O. Paulii, Ritschelii, G. Voigtii, Zarnckii.

Omnibus magistris de me bene meritis gratias quam possum maximas habeo semperque habebo.